



B. 409.



JOAN. CAROL. VILELM. MOEHSEN,

MED. D. GYMN. REG. JOACH. M. O. ET ACAD. JMP.

NAT. CUR. SODALIS,

DISSERTATIO EPISTOLICA
S E C U N D A

DE MANUSCRIPTIS MEDICIS,

QVAE

INTER CODICES BIBLIOTHECAE REGIAE
BEROLINENSIS SERVANTUR.

DATA

A D V I R U M

MAGNIFICUM ET ILLUSTRUM

D. ANDR. ELIAM BUCHNERUM,

SACR. ROM. IMP. NOBILEM, ARCHIAT. ET COM. PALAT. CAES. POTENT.

BORUSS. REGI A CONSILIIS SANCTIORIBUS, IN ACAD. FRIDERICIANA

MEDIC. ET PHIL. NATURAL. PROF. PUBL. ORD. ACAD. IMP. NATUR.

CURIOS. PRAESIDEM, ET ACADEM. SCIENTIARUM

BEROLINENSIS SODALEM,

PATRONUM ATQVE FAUTOREM

QVAM MAXIME COLENDUM.

BEROLINI,

IMPENSIS JO. ADAM. RUDIGERI, BIBLIOP.

MDCCXLVII.

Index Recensionum.

Vti Codicis Manuscripta reliqua:

II. RASIS liber divisionum.

III. Ej. Antidotarium.

IV. Ej. liber de doloribus juncturarum.

V. Ej. liber de morbis infantum.

VI. Ej. Experimenta GALENI.

VII. Ej. Antidotarius.

VIII. Ej. liber tertius Aphorismorum.

IX. Ej. liber quintus Aphorismorum.

X. Ej. liber de præservatione ab ægritudine lapidis.

XI. Expositiones nominum Arabicorum, ab interpretibus
in versione librorum Rasis relictorum.

XII. RASIS liber de facultatibus animalium.

XIII. Manuscriptum de Astrolabio.

XIV. Index nominum Arabicorum secundus.

XV. RICHARDI opus de signis februm, mutilum.

XVI. Io. PLATEARII liber circa instans dictus, s. de sim-
plici medicina.

XVII. Ej. Practica brevis.

XVIII. Ej. Expositiones in Antidotarium NICOLAI.

VI. Hortus Eystettensis. Norib. 1613. c. figuris nitide coloratis,
aliisque prerogativis splendens.

VII. I. S. ELSHOLZII. Plantæ singulares, Horti Electoralis Bran-
denburgici Colonienfis, pro Eystettensis Appendice.
In Charta.

VIII. Ej. Theatrum Tuliparum ad mandatum sereniss. Elect.
Brand. Friderici Gvilielmi MDCLXI. In Charta.

IX. Ej. Plantæ officinales, nova & praxi medicæ accomodata
methodo digestæ. MDCLXI. Tomi II. in Folio. In
Charta.

Viro
Magnifico & Illustri
ANDREÆ ELIÆ BUCHNERO,

RELIQUA.

S. P. D.

I. C. W. MOEHCEN.



Præstita avo carissimo pietate, non opus
erat ut longe circumspicerem, cui alte-
ram epistoliam dissertationem dicarem.
Si leve hoc munusculum Tibi solum ex
observantia & tui admirationis inflam-
matione traderem, honores, quos adminiftras &
ornas, nec non amplissima Tua in totam rem me-
dicam merita, temeritatis culpa abunde me exime-
rent. Neque magis, cum officio satisfacere studeo,
crimini hoc mihi datum iri opinor, quod magna
Tua in me merita, quorum nullam partem, non
modo referenda, sed ne cogitanda quidem gratia

E 2

con-

consequi possum, commoda & optata hac occasione, grata prosequar memoria. Suaves enim litteræ Tuæ certiorē me fecerunt, Te levibus meis conatibus favere, ac laudibus Tuis, quibus me nihil tale merentem adsecisti, novos mihi semper stimulos admoves, ut cœptis inhæream. Probe autem novi, tantorum potius indicari virorum laudibus, quales nos esse velint, quam quales judicent. Ut quoque animum meum perpetuo inflammes, & ad historiam naturalem ac medicam artem incenderes, Academiæ Imperiali Naturæ Curiosorum non ita pridem me immerentem præter omnem expectationem adscripsisti. **CICERO I. Tusc.** *Honos alii artes, ait, omnesque incendimur ad studia gloria: jacent ea semper, que apud quosque improbantur.* Quæ cum ita sint, omnia quæ porro in scientiis hisce Te suasore & impulsore proficiam, Tibi debebo; nec unquam ex animo meo excidet, me obstrictum Tibi teneri. **Vale VIR MAGNIFICE & -ILLUSTRIS** ac rebus meis favere perge.
Berolini, d. XVI Mart. MDCCXLVII.

Contenta



Contenta codicis Vti reliquã.



II. RASIS *liber divisionum.*

librum codicis quinti primum, jam in priori
dissertatione epistolica recensuimus, ad re-
liquos transeamus. Ab initio secundi co-
dicis libri, hæc legimus verba: *Venilata*
fuit in præsentia cujusdam probi viri rememora-
tio divisionis ægritudinum & curationis ipsarum. Quare visum est
mibi, ut componerem librum de hac inventione, cujus utilitas esset
communis & multiplicaretur excusatio omnium considerantium in
ipso, & utentium eo, prætereaque vidi in eo iuvamentum maxi-
imum & communitatem. Domini nostri itaque posco concessionem ad
rectitudinem sermonis & operis, & auxilium suum quod sibi placet,
E 3

Et quo ei fit approximatio cum ipse sit nostri gubernator. Et nos quidem scripsimus illud per capitula distincta litteris sicut fecimus in Almanfore, quæ sunt CLIX usque in finem hujus libri.

Omnia quæ de genere scripturæ, sæculo, ordine, numero versuum, ac columnis, in descriptione libri Almanforis notavimus, cum hoc conveniunt; qui ab eadem manu exaratus est. Priorum solum capitum tituli, minio picti sunt, reliquorum atramento, litteræ initiales aliæ minio scriptæ sed cæruleo colore exornatæ, aliæ cæruleo picto & minio conddecoratæ sunt, quod in omnibus hujus codicis scriptis factum esse hic notamus. Numerus ad capita nunquam adpositus est. His verbis: *Expliciumt divisiones Razi. Deo gratias. finis libri indicatur, qui XXII folia continet. Vir doctissimus FELDMANNUS, Doctor Medicus, in Circulo Ruppinenfi nec non in ipsa civitate Physici, ut vocant, munere fungens, RASIS Opera exquisitiora nuper a me desiderata, e largo librorum suorum adparatu, benevole commodavit, gratias hic ut publice ei agam maximas, necessitas, ne ab officio recedam, urget. Nec ego sum qui solus doctissimi viri studium singulare, rem litterariam promovendi laudat. Haud ita pridem Illustris HALLERUS in Tomi primi *Prælectionum Boerhavianarum* dedicatione, liberalem nostri, aliis gratificandi voluntatem, nunquam satis laudandam prædicavit. Liber divisionum RASIS, cujus vix initii verba indicavimus, tertium in operibus ejus exquisitioribus, typis jam evulgatis occupat locum. Nam est inter hoc & præcedens Almanfori dicatum opus, liber de pestilentia interpositus, in nostro codice omissus. Hunc Georgius VALLA ex Syrorum lingua in Græcam translatum, Latine reddidit. Teste Nicolao ANTONIO in Biblioth. Hisp. Veter.*

Veter. T. I. p. 371. vixit Georgius VALLA Sæculo XV. ex-
 unte, in codice itaque Sæculi XIII. hujus versionem ne quæ-
 ras. In divisionum libro, magnum RASES acumen ingenii,
 scientiam & peritiam artis insignem, præsertim Semeioticæ
 eximiam cognitionem ubique monstravit; nec non omnia
 discrete satis exposuit. Nam in quolibet capite, quorum sunt
 CXLIX. morbi, de quo agit, causas aperuit, signa tunc quæ
 produnt, morbum ex hac aliave causa ortum esse, & re-
 media pro causæ varietate adhibenda docet. Optandum
 sane esset, ut omnes nostri ævi auctores, in tanto medicæ
 artis progressu, tam laudabili conatu varias morborum cau-
 sas distinguerent, harum discrepantiæ signa, rite explicarent,
 ac medicinas secundum has causarum differentias dispone-
 rent. In libro quidem Almanforis nono, RASES morbos de-
 scripsit, sed raro signa quæ morbum, multo minus quæ cau-
 sas indicant, adjecit. plerumque morbo cum symptomatibus
 relato, remedia statim quibus subveniendum, copiose recen-
 suit. Est itaque notatu dignum, quod nonus Almanforis
 liber, ab omnibus fere mediæ ævi medicis, magni sit æstima-
 tus, & plerorumque doctrina & eruditio ex hoc fonte fluxe-
 rit. Divisionis liber quamvis principatum inter omnia RASIS,
 quæ ad artis exercitium spectant, scripta tenere videatur, vix
 tamen innotuit. Dolendum vero, stilum barbarum & nau-
 seosum, Arabicis verbis intermixtum, multum de rerum in
 latinum conversarum utilitate & nitore detrahere, adeo ut
 vel studiosissimus lector fastidio quodam a lectione libri latif-
 sime abalienetur. Interdum quidem minus apte morborum
 causas & signa indicata esse, inficias ire nequeo, quæ temporis
 autem genio adscribas, cum multa GALENI sectator acerrimus,
 quatuor humoribus, temperiebus, aliarumque inanum spe-
 cierum

cierum fundamento superstruxit. Hæc de Divisionis libro hætenus prolata lucide monstrant, præclare falli historiæ medicæ scriptores, qui Arabes plane Semeioticam neglexisse contendunt, cum RASES probe signa morborum & quod superest, causarum differentias & signa observavit. Pulsus varios, nec non lotii discrimina, in decimo Almanforis libro fufe tradidit.

Iure autem desiderabis, eum non hæc praxi accommodasse, cum in toto divisionum libro pulsus mutationes, quando morborum signa recensuit, vix unquam adjecit; vrinæ solum differentias in morbis renum & vesicæ consideravit; cum tamen decens, non circumforanea, pulsus & urinæ animadversio, plerisque in morbis, a prudente medico requiritur.

III. *Antidotarium RASIS.* Initium ponunt hæc verba: *Dixi in hoc libro meo medicinas, quarum necessitas est inseparabilis, & posui illas, quæ ex eis sunt præclare & electæ, & projecit totum in quo erat superfluitas & dilatatio, & fui contentus eo tantum, quod medico est necessarium & declaravi id & abbreviavi & posui id per capitula.*

Iam quidem pervenimus ad expositionem resolutionis ægritudinum quæ sunt a summitate capitis usque ad pedes, & reliquarum ægritudinum; & eorum quibus indiget medicus, in libro nostro magno in arte medendi qui interpretatur Albanguis, & in libro nostro qui est minor isto, & fui contentus in eo secundum tertium, qui est Almanfori, quem posui in X tractatus & feci ipsum regi Mansori, domino Chorasteni, a cujus nomine nominavi librum & in libro nostro

nostro edito de virtutibus, quem feci ad Heli, & in libro Alabamuluki quem feci ad Heli, dominum Trabastem, & in libro polorum, qui est major liber, quem ego composui, propter amplam expositionem, quam ego explanavi in arte medicinae & adjavamento naturarum, & quaedidici de scientiis philosophiae, exceptis eis, quae dicemus ex libris nostris, cum ipsi evigilent inquistorem ad locum utilitatis. Quamvis intentio non sit comprehensa, quoniam defectus prohibet a comprehensione. Jam igitur diximus in loco isto nostro, quod in ipso intendimus de omnibus medicinis, quarum praememorationem praemisimus in eis, quae praecesserunt de nominatione capitulorum, & intentione eorum. Quamcunque medicinam non dixi in hoc libro nostro, queratur in antidotario Humaym filii Isaac & illic invenietur.

Hæc, ut operum RASIS memoria supersit, praemisi, cum ipse non solum librum Almanforis esse se conscriptum, quem CONRINGIUS alii cuidam adscribendum judicaverat, sed reliqua quoque ingenii sui monumenta hic patefacit. Septem propemodum folia antidotarium explet, finis hæc habet: *Explicet. Deo Gratias.* Præfatio antidotarii in operibus RASIS exquisitioribus typis exscriptis, rationem libri exponit, cum codicem hæc nostrum deficit, eam adjungam: *Recensuimus in precedenti divisionum volumine nostro, medicamenta omnino necessaria, & quibus in unaquaque ægritudine curanda careri non potest, præsertim ea, quæ sunt omnium præstantissima electissimaque. Distulimusque de industria in hunc usque librum de antidotis inscriptum, medelas minus necessarias, ne dicam interim supervacaneas & cirra quas res peragi visa est posse, contentusque fui paucis & medico necessariis.* Nunc vero de compositione antidotorum singulis morbis juxta divisionem eorum appropriatis, ejusmodi capitulum serie brevibus conscripsi.

F

Patet

Patet, RASEM jam ante sexcentos & quod excurrit annos, farraginem compositionum medicamentorum questum esse, quid est quod nostris temporibus agamus? HUMAYM filius Isaac, cujus RASES mentionem injecit, est celeberrimus *Johannitius s. Honain*, vocatus *Interpres*, cum Græcorum plurima scripta in arabicum sermonem transtulit, vid. FREINDI *Histoire de la Med.* p. 134. & ABUL-PHARAJI *Histor. Orient.* p. 172. An ejus Antidotarium adhuc superfit, me latet, cum nondum inter libros typis editos illud videre licuit. *Varia Interpretis sic vocati scripta, publici juris facta, recensuit Lindenius renovatus: vid. Johannitius & Humaim.*

IV. RASES de doloribus juncturarum.

Dixit Rases, volo in hoc capitulo dicere medicinas, quæ necessariæ sunt in doloribus juncturarum, s. medicinas laxativas, quæ in libris non sunt dictæ nec manifestatæ, & in qualibet illarum distinguo, qualiter debeant uti, ut nulla ex eis sit posita nisi in loco suo.

Hæc sunt initii verba, libri compendioso scribendi genere concepti, ac nusquam per capita distincti, qui sex solum folia comprehendit. Magnopere hoc opusculum RASIS a FREINDIO l. c. p. 148. commendatur, qui lectu hoc perquam dignum censet. Arrident præcipue huic in tertio capite (nam liber typis expressus in capita divisus est,) descriptæ curationes notabiles, quas plerumque sanguinis missione adhibuit, quarum summæ sub uno adpectu positæ ibidem quæri possunt.

V. *De morbis infantum* peculiarem libellum RASES confecit, qui statim finito de doloribus juncturarum libro, una serie

serie in nostro codice pergit, absque titulo, præfatione, vel capitum distinctione, & duobus circiter foliis absolvitur. Gloriam hoc libro consecutus est RASES, cum primus de infantum morbis egit, teste Freindio l. c. p. 149. *Rhazés* a employé un livre entier sur les maladies des enfans, c'est le premier Traité de cette sorte, que nous aions des Anciens. Licet in hoc variolas, & morbillos, infantibus nostratibus morbos plurimum infestos, prætermiserit; atamen optime hos inter veteres, & primus, ut quidam malunt, explicavit. Plura posthæc. ALBUCASA nomine *Alfabaravii* clarus, totum exscripsit librum, vid. FREINDIUM p. 177. ac Operi suo Al-Tasrif, quod sub titulo: *Alfabaravii liber theoreticæ nec non practicæ*, Augustæ Vindelicorum. a. 1519. Fol. editum est, inseruit. Cel. KESTNERUS in Biblioth. med. p. 137. §. IX. ALSAHARAVII opus ob suam raritatem recudendum putat. FREINDIUS vero vix quidquam in ALSAHARAVII opere reperiri contendit, nisi a RASE jam pertractatum. Græcorum scriptis RASES valde usus est, hujus autem præter ALSAHARAVIUM CONSTANTINUS; quoque hic enim, qui dudum jam apud CASTELLANUM, STOLLIUM, FREINDIUM & alios, principis plagiariorum nomen meruit, ut Cel. KESTNERUS in vita ejus animadvertit, librum a RASE compositum, Pantechni titulo quasi a se confectum edidit. RASIS de morbis infantum liber, non solum una cum operibus ejus exquisitioribus prostat, sed ad *Fasciculum medicine compositum per Joh. de Ketham* quoque adjectus & ter editus est, v. *Kestneri Biblioth. med.* p. 340.

VI. Finito de infantum morbis libro, aliud incipit scriptum, quod hoc exordio gaudet: *Dixit GALENUS, ignis qui descendit super altare, combussit libros regum, & cum his combussit*

burnis libros multos plurimorum medicorum, mihi autem combussis plurimos libros meos, quorum quidam erant completi, & quidam, quos inceperam componere, & doleo tantum de aliis libris, quantum doleo de quibusdam experimentis quæ erant in illis, quæ acquisiveram a quibusdam bonis experimentatoribus, & forte pro uno experimento acquisito, dabam multa bona experimenta, & forte dabam pecuniam. Et scio virum, qui curabat lapidem in vesica curatione perfecta, & hæc sepe in valentibus hominibus, lucrabatur infinitam pecuniam per hanc, & solummodo per hanc medicinam acquisivit nomen optimi physici, cet: In fine hujus libelli legimus: Dixit GALENUS, scripsimus in hoc libro, quem vocamus librum experimentationis medicinarum quas probavimus, & laudavimus, quas & accepimus a sapientibus hominibus. Et caveas a medicinis non expertis, & utaris medicinis expertis, ut stas a bonis, & nota unum, quod omnes istæ medicinæ sunt Bezabar in suis locis & venena in contrariis. Nos autem diximus in hoc tractatu de istis medicinis plures expertas, & si postea acquisiverimus alias, scribemus in fine istius tractatus.

Quatuor folia librum absolvunt, qui ubique experimentis medicorum, quos sepe nominavit, & quorum ipse periculum fecit, abundat. Extat quidem RASIS liber de experimentis & confidentiis, qui autem plane ab hoc discrepat, & inter aphorismorum libros sex, in exemplari typis edito, secundum occupat locum. Ego quidem hoc scriptum ut plurimum ea continere experimenta censeo, quæ in GALENI, libris de Antidotis, de compositione pharmacorum secundum locos, & de compositione medicamentorum per genera, distributa sunt, quod hæc conferenti mihi compertum est. Quo melius intelligantur, quæ ab initio hujus scripti de libris GALENI ab igne consumptis exponuntur, principium libri primi de compositione med.

medic. per genera adponam: Scripsimus & jam antea commentarium, ait, cujus priores duo libri in publicum sane prodierant: sed cum aliis in apotheca, quæ ad viam sacram est, relictis intercidere, quando Pacis delubrum totum, & ingentes palatii bibliothecæ incendio conflagnarunt. Tunc enim, & aliorum complurium, & mei libri, qui in apotheca illa erant sepositi, interierunt. De apotheca sive bibliotheca, quæ Romæ in via sacra prope ad Pacis templum servata est, nec non de GALENO Bibliothecarum amplificatore, latissimus nobis dicendi campus erit in libello, quem nuper promissimus.

VII. RASIS *Antidotarius*, qui inter opera exquisitoria p. 546. reperitur, hic nec titulum præfixum, nec adposita habet capita. Initium est: *de aptatione medicinarum, ut sine horribilitate possint sumi, secundum Rasem.* Totum quatuor folia librum de verbo ad verbum continent, qui morborum remedia a RASI probata & quæ ipse expertus est, tradit. An autem RASES semper ea suaserit remedia, quæ sine horrore & nausea epotari possunt, aliis judicandum relinquo. Ea enim, quæ in ultimo capite libri *de facultatibus animalium* commendat, quod *de muliere* agit, hujus generis esse, vix ac ne vix quidem mihi persuadere possum: *Menstruum mulieris, ait, priusquam cognoscatur a viro, mixtum cum spermate viri, positum in oculo patientis, albuginem sanat.* Et paulo post: *si dederit mulier sordes pedum in potu, suo viro, diliger eam semper. Similiter si vir dederit mulieri, diligeretur ab ea.* Tacebo alia. Quartum hujus Antidotarii caput, quod in *Operibus RASIS* exquisitoribus p. 558. reperire est, ordine perverso post num. IX. in codice positum est.

VIII. RASIS *liber tertius Aphorismorum.*

Hic pagina 529. *in operibus exquisit.* extat, omnia quæ ibidem leguntur, & hic reperies, sed non eodem ordine. Inter scripta ejus liber tertius haud infimo loco ponendus est, in hoc enim notatu digna, quæ in artis exercitio observavit, fideliter tradidit. FREINDIUS l. c. p. 148. judicium ejus insignne in prædicendis morborum eventibus hoc ex libro patere, commemorat; consentit KESTNERUS, qui in Bibl. Med. p. 130. cum de sex libris Aphorismorum RASIS agit, hæc habet: *Ex horum librorum primo atque tertio & expositis ibi Aphorismis conjectatu non est difficile, quanta fuerit Rhazis dexteritas, & quanta divinandi vi in prognosi morborum is polluerit.*

IX. *Libri quinti Aphorismorum RASIS* contenta, novum continet codicis segmentum, ordine paululum perturbato. Totus liber ex Hippocratis Aphorismis contractus est, hoc finito, sequitur quartum caput *Antidotarii*, qui num. VII. recensitus est.

X. RASIS *liber de præservatione ab egritudine lapidis.* Reperitur in opp. exquisit. p. 560. & cum hoc plane convenit. In fine quædam remedia contra varios morbos adjecta sunt, quæ in libro typis edito frustra quæres.

XI. Sequitur nunc aliud scriptum, in cujus margine manu recentiori adjectum est: *Incipiunt expositiones nominum arabicorum in libro divisionum Rasis, & in antidotario Rasis.* Nomina arabica litteris Longobardicis scripta, per vocabula latina explicantur, sed absque Alphabeti aliove decenti ordine. Alius hunc excipit index vocum arabicarum, secundum Alphabeti

beti litteras adornatus, hic vocabula arabica a præmissis diversa interpretatur. Utrique quatuor explent folia.

XII. *Incipit liber Rasis Physici, filii Zachariæ, de proprietatibus membrorum animalium & utilitatibus & nocementis eorum, & est aggregatus ex dictis antiquorum, & quod probaverunt antiqui, & ut facilius inveniatur, quod quæretur in libro, ideo perscripsimus singula capita. Cet.* Hoc est initium libri de facultatibus animalium, quod capitum index sequitur. Capitum primorum sententia, ad marginem litteris minio pictis, reliquorum atramento, adposita est, sed manu recentiori tremula conscriptus est liber, notis scripturæ ultra modum concisus, qui foliis quinque & dimidio absolvitur.

XIII. Libellus astronomicus eadem manu exaratus interstrepit medicos, qui hoc gaudet initio: *Alris astronomice, instrumentum est astrolabium, & dicitur astrolabium quasi astrorum labium metaphorice, quod, sicut labia claudunt inter se instrumenta loquendi, ita astrolabium claudit inter se instrumenta loquendi orrus & occasus signorum, vocatus & alio nomine Astralapsus s. Warzagoia. Cet.* Parum ultra folium occupat. Cum in hoc multa de polis aguntur, forsitan est pars libri polorum RASIS, cujus mentionem fecit in Antidotarii initio. Inter manuscripta celeb. Guilelmi LAUD, occurrit scriptum: *de Astrolabiis, autore Mohammed Nassireddin Tusæo*, vid. Catal. MSS. Angl. & Hibern. p. 49. 453. 12. An cum hoc conveniat? In vita *Gerardi Carmonensis vel Sabloneta*, quam exhibet Eruditorum Lexicon, inter hujus scripta legimus, eum *Theorias de Astrolabio* edidisse. In *POSSEVINI Apparatu sacro*, GERARDUM reperire non potui, & *ARISII Cremona litterata* non ad manus

nus mihi fuit, ex his vero vita *Gerardi Cremonensis* in Lexico Eruditorum congestum est. An hoc scriptum de Astrolabio, interpretem librorum RASIS, *Gerardum* scilicet, agnoscat autorem, pro certo affirmare non audeo.

XIV. *Index nominum Arabicorum* alphabeticus, morborum præsertim herbarum, medicaminum & terminorum quorundam anatomicorum, manu *Petri Caciacensis* vel coævi conscriptus. Barbara & hic vocabula, quæ in operibus RASIS occurrunt, explicantur, quare in horum usum, a nobis ignoto confectus videtur. Folia novem, quorum paginae in quatuor columnas divisæ sunt, indicem continent.

Opus nunc est, ut de genere scripturæ Manuscriptorum hujus codicis, quæ hætenus recensuimus, dicamus. Eadem manu omnia exarata videntur, præter libros num. XII. & XIII. in ejusdem seculi quidem scriptura, sed litteris paulo crassioribus & longioribus in medicis circiter sæculi XIII. usitatis, conditos. Reliqua enim codicis, tam scripta RASIS, quam eorum lexicidia, ab initio sæculi XIII. confecta videntur.

Ad finem perduximus enarrationem contentorum codicis, quæ partim pro autore RASEM agnoscunt, partim ad scripta ejustranslata melius intelligenda, sunt composita. Antequam reliqua quæ codex complectitur & ab aliis elaborata sunt, exordimur, quædam de illorum *versione, interprete, de meritis RASIS in rem medicam, de reliquis a RASE editis*, ac denique *de Variolis*, quatenus harum primus sit descriptor, differere placet. Historiam litterariam mediæ ævi, inprimis medicam, varias habere lacunas, nemo ignorat, harum vero quasdam

dam pro virili explere institui, ac, si hoc pacto, scripta hujus ævi recensens, prolixior tibi videor, consilio meo indulgeas.

Quædam Arabum scripta, inter quæ palmam præferunt RASIS, lectione sane digna & nunquam sua laude defraudanda sunt, cur autem minus a rei medicæ cultoribus legendo conterantur, audiamus TORINUM in præfatione opp. exquis. RASIS: *Quod vero, ait, minus quam Græci jucundi & turbulentiores squalidique magis videntur, & re vera existunt, Arabes, non tam autoribus ipsis, quorum idioma in universum inelegans, & inconcinnum & horridulum habetur, quam ineptissimis ipsis interpretibus, adscribendum autumo; qui incomptissimo charactere, vitiatæ & obscuris dictionibus, Arabicis & Barbaris, plurimaque inconcinnitate omnia horrificarunt. Et procul dubio, si tales auctores sua lingua scripti extarent, & eadem nobis tam nota atque Græca & Latina foret, non tantam plerisque lectoribus nauseam moverent.* Alibi præfationis autor in hac conqueritur, Arabum stilum tam alienum esse a lingua latina, ut in hanc transferri feliciter vix possit. Hæc confirmantur, cum FREINDIUS l. c. p. 136. lucide monstrat, tam Græcorum quam Latinorum scripta ab Arabibus prave admodum translata esse. Genio itaque linguæ quædam adscribas, plurima autem interpretibus, utriusque linguæ non satis peritis. Magnum denique usum adfert TORINUS, quem Arabum scripta in artis medicæ exercitio, & medicamentorum tam simplicium quam compositorum cognitione & adplicatione præstant; imo Arabes in simplicium cognitione superasse Græcos commemorat & exemplis probat le CLERC, *Histoire de la Médecine* edit. Amstel. 1723. p. 771. Stilus impurus, quo usus est interpretes librorum RASIS, satis ex passim citatis codicis nostri verbis liquet.

G

Unum

Unum alterumve exemplum de barbaris vocabulis, quæ opè-
ribus ejus immista sunt, adjiciamus. In editione librorum
RASIS ab eodem TORINO curata, legimus in Aphorismo-
rum libro V. *Si in corporibus fuerit alchafar, id est Bertoga &
sunt apostemata parva, minuta, rubea, que de facili resolvuntur,
dicatis ei quod habebit egritudinem leonis.* Obscura hic peræque
obscura, Alchafar per Bertoga explicantur. Præterea remedia
tam simplicia, quam composita, arabicis nominibus signata,
retinuerunt interpretes, nec res diæteticas ad morbos curan-
dum aptas, semper interpretati sunt. Legimus enim Libr.
VII. Almanfor. Cap. X. - - - *ut caro cum succo vuc acerbe cocta,
& cum ribes, & cum pomis, & fuchabegi & charis, & hulem
& musos, & similia his.*

RASIS, AVICENNÆ aliorumque scripta Arabum, tam
miseris & absolis versionibus immixtis undique arabicis ver-
bis deprauata & conspurcata esse, eruditissimos viros habe-
mus consentientes, quorum verba Cel. VELSCHIUS in præ-
fatione ad *exercitationem de Vena Medinensi ad mentem EBN-
SINÆ* collegit, & huic notatu digna de Avicennæ interpreti-
bus inferuit. Nos solum ex hac, quæ *Io. Franc. ROTA* in
Diff. de introducendis Græcorum medicaminibus p. 3. linguæ inter-
perantia furens, protulit, quo voluptati sint lectori, notamus:
*Arabas ignavos, & scripta eorundem spurcissimorum hominum, ca-
lumniatus est, quæ ne intelligi quidem possint, barbaris, latinis,
& hermaphroditicis vocibus referta, ut Magorum potius quam Me-
dicorum commentaria judicari potuissent, quippe quod in illis & Si-
phac & Mirach, & Alfortemath & Alvocha & Alsalba, & sexcen-
ta alia similia vocabula legantur, demonum magis nomina sonantia,
quam quæ in medicina aliquid significare credantur.* Ab illis uti-
que

que gemibus profecta, quarum voces porcorum linguas, & ranarum, vel graculorum & corvorum representent, turpis & vel ipsa figura lingue, labiorum totiusque adeo oris inhoneſtas. ROTAM, qui miſcet ima profundis, ac interpretum vitia autoribus tribuit a VELSCHIO l. c. ſatis caſtigatum relinquimus. Novas librorum, quorum autores ſuere Arabes, & puras eorum translationes vix ſperare licet, cum partim, operæ haud pretium ſit noſtris temporibus, in tanto artis medicæ progreſſu, ſpiſſa volumina multis interdum quiſquiliis & commentis referta, ob pauca, ex quibus fructum capere licet, recudere; partim, cum e medicorum ordine pauci admodum arabicam callent linguam, nec hominis vita tot autorum emendationi & novæ interpretationi ſufficeret. Eruditorum, ni fallor, adſenſione comprobatum & in artis medicæ commodum foret, ſi Lexicon vocum arabicarum in verſionibus operum hujus gentis retentarum, una cum explicacione latina ab harum linguarum perito conderetur, quod ab hujus codicis tribus Lexidiis haud leve incrementum haberet. Legentis faſtidium multum ſane mitigaretur, ſi hoc auxiliante, memorabilia & erudite ſæpius ab Arabum medicis quidem dicta, ſed barbaris vocabulis obnubilata, melius intelligerentur. Varia quidem Lexica proſtant, quæ ad artis terminos a Græcis mutuatos explicandum compoſita ſunt, at nullibi Lexicon, quod ex inſtituto, ut ajunt, arabica verba in verſionibus relicta exponit, reperimus. Quibusdam quidem Arabum verſionibus, index hujus generis adjectuſeſt, e. g. Colleçioni de medicinis ſimplicibus a BRUNSFELSIO adornate. In hoc vero arabica plerumque verba barbaris vocabulis non minus obſcuris explicantur, ſic e. g. Belenizam per Belenzam vel petroſam interpretatur, abſque rei meliore illuſtratione, alia vero arabica Verba in hoc indice

sine ulla vocis explicatione reperiuntur. Tale quidem lexicon, quod desideramus, composuisse visus est Matthæus SYLVATICUS, qui in *Opere Pandectarum medicinarum*, vocabula obscura, Græca, Arabica, Latina, Barbara, quæ ad medicinam & medicamenta spectant, congeffit; sed infelici fidere rem adgressus est, cum ego quidem plane adfentior Celeb. KESTNERO, qui in *Bibl. Med. p. 58. ad intelligendum isthoc dictionarium barbaricum* inquit, *alius lexici ope indigeas*. Nihilo tamen minus novies typis editum inter rariores quidem sed simul nullius usus libros, principem, eodem referente, meretur locum. Ex instructissima Regis ingenio atque imperii gloria præstantissimi, Bibliotheca, in usu mihi fuit editio Veneta, A. MDVII. fol. quæ, cum inter novem a V. C. KESTNERO aliisque recensitas non occurrit, decadem editionum explet. Ex hoc opere intelligimus, quæ vis sit *Algebrae*, vocis sæpius in scriptis a Rafe libris, absque sufficienti explicatione usitata; uti & in Antidotario remedia in Algebraicorum solatium præscripta, legimus. *Algebra est dislocatio*, ait SYLVATICUS, *membrosum, interdum pro ipsorum restauratione accipitur*. Ultimo sensu & Algebra in Lexidiis nostris exponitur. Non perperam igitur MStum de Algebra reperies inter Scripta medica Celeb. Olai BORRICHII locatum. v. NEICKELII *Museographiam* p. 386.

Interpretis nunc librorum Rasis, quos hætenus descripsimus, mentio est facienda, in hunc data nobis facultate conferendi Manuscripta cum typis evulgatis, facilius inquirere potuimus. Octo priores Almansori dicatos libros interpretatus est GERARDUS CREMONENSIS, qui TOLETANUS, nec non SABLONETA a quibusdam vocari solet. Hic enim

enim eos, qui publici juris per artem typographicam facti sunt, in Latinum transtulit; nostris itaque qui his conveniunt, eundem statuimus interpretem. Pauca passim stilum purgando impurum, TORINUS in editione quam curavit, dedit emendata, præcipua in librorum initio mutavit, cetera potissimum congruunt. Nec hoc L. B. dubium tibi moveat, quod primus Almanforis liber per *Erhardum Tolemannum* translatus sit, ut exemplum typis editum refert, errore hoc factum esse puto, cum nomen, hominis, nunquam noti, depravatum, loco *Gerardi Toletani* sit suppositum. Nonus ut & decimus Almanforis liber, quos continet codex, a versionibus VESALII & TORINICÆ in edito exemplo prostant, facile se stili impuritate distinguunt; nostros GERARDUS transtulit, quod dicendi modus prodit. Idem reliquos omnes RASIS, a nobis recensitos libros, exceptis eis quos numero VI. & XIII. recensui, de quorum autoribus non est quod dicam, Latine reddidit, quod habeo ex contentione editorum cum manu exaratis facta compertum. Miraberis autem, quod versionis librorum RASIS, in codice sæculi XIII. conditorum, Autorem nuncupem GERARDUM TOLETANUM, qui, si *Lexicon eruditorum*, & quidem nomen *Sablonete* evolvas, vixit MCCCCCL. secundum LINDENIUM *de scriptis medicis* a Mercklino renovatum p. 349. Anno MDLV. & p. 352. Anno MDXLV. Eundem enim, *Gerardum Toletanum*, *Gerardi Cremonensis* nomine, iterum descripsit. Pari seductus est modo, sæpe laudatus KESTNERUS cui multum historia medicinæ debet, nam in *Lexico biographico* Germanice scripto, nostrum in medio sæculi XVI floruisse sub Gerhardi TOLETANI nomine, perhibet, quem vero vitam GERHARDI *Carmonensis* describens, ad ductum FREINDII circa medium Sæculi XIII.

vixisse, commemorat: licet ipse l. c. p. 339. lit. b. LINDENIUM & alios reprehendat, qui nostrum inter Sæculi vel XV. vel XVI auctores, numeraverunt. Nobis quidem persuasum est codicis nostri, quæ ad RASEM pertinent, contenta, a Gerardo Cremonensi non solum translata, sed initio Sæculi XIII esse exarata, cujus rei notas habemus firmissimas. Optime de vita *Gerardi Cremonensis* egit Nicol. ANTONIUS in *Biblioth. Hisp. Vet. T. II. p. 263. col. 2. seqq.* qui Andalusiam, & in hac, urbem Cremonam eum patriam agnoscere, diserte commemorat, unde qui eum Italia indigenam ac Cremonæ natum putant, præclare falluntur. ARISLUM in *Cremona literata* mentionem hujus fecisse ex Eruditorum Lexico jam supra declaravimus, sed perperam hoc factum esse scimus, ab ANTONIO edocti. *Toleranum* hunc vocari, quod Toleti spartæ suæ ornandæ vacasset, ex eodem comperimus, qui & *Sablonetam* eum appellari ait, cum quidam urbem Sablonetam in agro Cremonensi locum ejus natalem fuisse, quamvis falso autument. De tempore quo vixit, hæc addit ANTONIUS: *Cum vero ante CCC annos absque alia exactiori notitia dicatur is vixisse (error quippe absurdus est in Jusli Chronologia medica, & in Lindani opere de scriptis medicis, vixisse eum circa annum MDLV.) non abs re autoribus incertæ ætatis eundem immiscuimus.* Quid vetat itaque quo minus eum scriptoribus qui initio Sæculi XIII. vixerunt, annumeremus, cum hoc codicis scripturæ genus testatum facit. CONRINGIUS in *Commentar. de script. XVI p. C. n. Sec.* GERARDO inter Sæculi XIII. scriptores p. 127. locum dedit. addit, non solum hunc in versione librorum Arabicorum operam collocasse, sed & ipsum præclaros conscripsisse libros. HUETIUS I. B. MONTANUS & alii, GERARDUM ob medicæ artis & Græcæ linguæ ignorantiam, scdissime in versionibus aber-

aberrasse, contendunt: quem PLEMPPIUS Arabicæ linguæ probe peritus, ignorantia accusatum strenue defendit, & versionem ejus licet non vividam, fidelem tamen ad sæculi genium, a viro Arabicæ linguæ gnarissimo adornatam appellat. KIRSTENIUS Polyater Vratislaviensis, scædas GERARDI versiones exculpate annitur in dedicatione Grammaticæ Arabicæ Lib. I edit. MDCVIII. fol. postquam errores non centum, sed multa eorum millia in versione Avicennæ, hunc commisisse asseruit: *Cui tamen venia danda, pergit, Juris Consultus enim professione fuisse dicitur, quomodo igitur bene verteret opus medicum.* Medicum vero GERARDUM fuisse ex CONRINGIO vix citato, VALESCO DE TARANTA (qui in *Philonii Pharm. & Chirurg. L. VII. C. XV.* & alibi, varia quibus usus est GERARDUS noster medicamenta, commendat) aliisque, scimus pro certo.

Vir quidam doctissimus variolarum antiquitates impugnans, de librorum RASIS versionibus parum commode judicavit: *Ceterum Rasis opera, ait, primo ex Arabica in syriacam, ex hac in Græcam, & inde demum in latinam linguam versa, facile judicatu est, quantum a nativa certaque claritate recesserint.* Hæc solum de libro qui false de Pestilentia inscribitur, valent, hic enim ex Arabum in Syrorum, ex hac in Græcorum linguam translatus & tandem civitate Romana donatus est, v. *Lindemium renovatum* p. 5. Minime autem eadem fata reliquis fuerunt, qui statim ex Arabica lingua a GERARDO CREMONENSI latine reddita sunt, ut ex præfatione TORINI, & autorum testimoniis hætenus citatis, in apricum protuli. Tandem monendum mihi esse duxi, GERARDUM CREMONENSEM probe distinguendum a GERARDO DE SOLO Prof. Montispe-

tispeffulano, qui circiter An. MCCCCLXX. floruit; hujus scripta LINDENIUS lib. cit. præfertim vero PASCHALIS GALLUS in BIBLIOTHECA MEDICA recensent, quædam ex his perperam cum scriptis GERARDI CARMONENSIS confunduntur, ut cuique sua rite tribuantur, susceptum laborem persequens, nactus occasionem dabo operam.

Merita RASIS amplissime prædicavit FREINDIUS p. 144. quæ repetere, cum brevem eorum summam dedit KESTNERUS in *Biblioth. med.* p. 130. incassum foret. *Rhazin* autem diversas res antea incognitas simul notas fecisse, ait, de medicamentis chemicis primum locutum, historiam ignis persici, vene medinensis, spinæ ventosæ primum descripsisse recte, idem D. Freindius cordate & sincere fassus est. Scientiam nostri anatomicam laudat DOUGLASSIUS in *Specimine Bibliogr. Anatom.* ed. secundæ p. 37. *Anatomen* ordine eleganti comprehendit, & quicquid Hippocrates sparsim, & Galenus in multis voluminibus tractat, succincta enumeratione complectitur; in ejus opere nihil fere deprehenditur otiosum nullusque omnino ambitus verborum sententiarumve elegantia sed rerum, de quibus agit, pondus & summa cum brevitate veritas, pro *Anatomes tunc temporis statu.* Inter celeberrimos ævi sui medicos, qui artem exercuerunt, summo jure ab omnibus referitur; CASTELLANI *vitas illustr. medicorum* STOLLII *historiam medicinæ*, KESTNERI *Lexicon Biographicum medicorum* & ab his citatos adeas autores, si plura de RASIS meritis & vita cupis. Si vero autores qui laudes RASIS ad cælum usque sustulerunt, congerendi animus esset, totum implerem librum. Hos itaque cum æquos præmissi meritorum RASIS judices, excepto Salomone ALBERTI, mittam. Hic enim quartam inter *Orationes suas Wittebergæ MDXC* in forma octava editas,

de

de medendi scientia, professoribus ejus & historia ætatum antiquis-
 smarum, quibus illi claruere, imprimis vero de Rase ejusque libro IX.
 peroravit. Laudat in hac Vir alias doctissimus & ævi sui Apol-
 lo, RASEM vagam tum ac solutam medicinam digessisse, &
 quantum hoc beneficio suo de arte nostra meritus sit, evin-
 cere annitur multitudine classicorum medicorum, & artis
 nostræ procerum, qui suis scholiis illustrare Rhazen, nitorem-
 que ipsi stilo suo conciliare, operam dedissent. Hactenus
 bene, sed: *Quid? quod e Græcis*, pergit, *posterioribus sive recen-*
tibus imitati ipsum sunt non pauci. Refert inter hos ORIBASIVM,
 PAULUM Ægina oriundum, & ÆTIUM, concludit denique:
Omnes ex æquo Græci sermonis elegantia, sordem Arabicam abster-
serunt, in quorum Operibus filium Rhazæ nostri facile videre est.
 Errore summo vir doctissimus lapsus est, cum eos EX RASIS
 hausisse Operibus perhibet; ORIBASIVS enim sine seculi
 quarti, PAULUS Ægineta septimo, quinto vero ÆTIUS vixit,
 si non omnium, plurimorum saltem consensu, RASIS quem
 Mauritanum vocat, ætas, ne in ea quidem tempora incidit,
 cum seculo adhuc decimo superstes fuit. His e contrario a
 Salomone ALBERTI adductis, una cum HIPPOCRATE & GA-
 LENO sæpissime usus est RASES, in conditis a se li-
 bris, ut EX FREINDII p. 20. a nobis memorata patet tabula.
 Hac occasione monebo, Albanum jam TORINUM, qui RASIS
 opera edidit exquisitiora, operam FREINDIO levasse: hic
 enim tabulam, quæ Græcos sistit autores, quorumque ex
 scriptis, Almanforis liber congestus est, nisi totam, maxima
 saltem ex parte, præfationi operum inseruit, ergo huic potius,
 quam FREINDIO est adscribenda.

Multa RASEM scripta edidisse & nunquam a scribendo
 H desti-

destitisse p. 18. a nobis laudata ABUL - PHARAJI verba declarant, imo ABI-OSBAIA, commemorante FREINDIO, CCXXVI tractatus a RASE conscriptos, numeravit. Minime autem nostrum polygraphorum inter medicos coryphaeum putes, cum CHRYSIPPUS praeter ceteris *Solensis*, Stoicus, non pauca physica & medicinam contingentia, plurimum ad dialecticam & philosophiam pertinentia, pluribus quam septingentis voluminibus scripsit v. SCHULZII *hiflor. medic.* in 4to p. 351. Nec alii deerunt, si plures desiderabis. Editiones librorum RASIS, quae in publicum prodierunt non est quod adiciam, cum has PASCHALIS GALLUS in *Biblioth. medica*, LIPPENIUS in *Bibl. Real.* M. LINDENIUS *renovatus* (qui RASIS libros duplici sub nomine, scilicet ABUBETRI *Rasis* & ABUCHARE *Mugamet*, recensuit) & KESTNERUS in *Bibl. Medica* congefserunt. Nec in quibus Manuscripta RASIS opera lateant Bibliothecis, indicaturus sum, ne prolixius justo aberrem; praecipue cum pauci Bibliothecarum indices typis exscripti sunt, hinc ex parte tantum perfecta traderem. Almanforis librorum historiam scribens, ubi manuscripti latent, exhibui, ex reliquis varia in *Catalogo Manusc. Angliae & Hiberniae*, *Bibliotheca Lugduno-Batavae* & denique *Bibliotheca Lipsiensis* reperies. Addimus his ductu FABRICII in *Bibliotheca Graeca* Vol. XIII. p. 46. *Florentinam* & *Parisiensem*, hujus Catalogi partes duas priores nuper edidit MONTEAUCCIUS. Nec omittenda est *Guelpherbyrana*, in cujus historia condenda occupatus est. V. CL. BURCKHARDUS. Amicissimis Cel. Fr. Ern. BRÜCKMANNI, Viri doctissimi & de historia naturali optime meriti, litteris, certior factus sum, varia in hac RASIS tam scripta quam typis evulgata servari, quorum brevem mecum benevole communicavit indicem. Postremo

stremo loco adjicere libet, quod inter codices Arabice scriptos Bibliothecæ Lugduno-Batavæ, p. 448. n. 956. reperitur: *BIROUNII Catalogus librorum philosophicorum quos composuit Mub. Ben Zackeria Razæus, dictus vulgo Rasis, & n. 957. GADANFAR TAURISII animadversiones in eundem Catalogum Bi-rounii.* Ex his optime scriptorum RASIS notitia peti posset.

Quæ ex instituto ut ajunt, RASES primus de *Variolis* posteritati tradidit, minime nunc reticenda sunt. Signa & curationem tam variolarum quam morbillorum *Divisionis libro*, Cap. CLIX. exposuit, quæ optime in toto de pestilentia libro, qui perperam ita inscriptus est, cum variolas solum & morbillos pertractat, cura & vigilia singulari elaboravit. Editiones hujus libri varias, LINDENIUS de script. med. & FABRICIUS in *Bibl. Græc. Vol. XII. p. 692.* tradunt. Remedia quæ delent variolarum & ulcerum vestigia in *Lib. V. Almans. C. 27. Libr. Division. C. 114. Lib. de Antidotis C. 12* commendavit. RASIS totam de variolis doctrinam erudite digessit FREINDIUS, in *vita ALBUCASIS Hist. de la Medic. p. 203. seqq.* Usum quem RASES de Vena incidenda & balneo aquæ frigidæ hoc morbo laborantibus promittit, ibidem lucide hic demonstrat. Liber RASIS *de variolis & morbillis Arabice* scriptus in Bibliotheca Lugduno-Batava servatur v. *Catalog. hujus Bibl. p. 441. n. 761.* Variolas morbum fuisse Græcis plane non cognitum, ab Arabibus primo descriptum, ac optime inter hos a Rase, omnes historię medicæ scriptores uno adfirmarunt ore. Historię hujus artis a Galeno usque ad nostratempora, *συναγραφήν* tradidit CLERICUS, ac supremam huic manum imposuit FREINDIUS, hi partim Arabes primum variolas descripsisse, partim RASEM præcipue inter hos, veram

ram & explicatam morbi & curationis historiam perfecisse, exposuerunt. Congruunt LISTERUS in Exercit. med. VIII. p. 150. nec non quæ ex hac hausit Cel. FÜRSTENAU, in desideratis medicis pag. 158. ac alii innumeri, qui aperte confessi sunt: RASIM & reliquos Arabes variolarum indolem ita jam pertractasse & exhaustisse, ut nostris novi quid adjicere, vix relictum sit. A quo autem tempore communis & quam maxime odiosus morbus hominibus, ingravescere cœperit, eruditi nostrorum temporum in controversiam vocarunt; cum alii Græcos morbi hujus plane ignaros extitisse, alii vero iisdem rem manifestam & notam fuisse contenderent. A recentissimi ævi scriptoribus historiæ medicæ, haud penitus lis descripta est. Nam cuncta quæ huc pertinent in STOLLII opere docte scripto, quod medicinæ exhibet fata, ac in KESTNERI *Bibliotheca medica*, non minus vtili, frustra quæsieris. Inter viros doctrina atque optimarum artium studiis, nec non dignitate celebratos hæc de variolarum antiquitate fuit cœratio. Nec me extra cancellos egressuram puto; si ob materiæ convenientiam scripta historiæ medicæ accessionibus undique re-ferta, quæ mihi de hac lite innotuerunt, breviter recenseam. SENNERTUS jam demonstrare conatus est, Græcis variolas & morbillos, fuisse morbos bene cognitos, nec alii defuerunt, qui vel SENNERTUM antecesserunt, vel vestigia ejus imple-runt, ut MANARDUS, FRACASTORIUS, SALMASIUS, ZACHTUS LUSITANUS, PRIMEROSIUS, BARTHOLY-NUS, AUGENIUS, WEDELIUS, DRELINCURTIUS alii. Hi autem minus explicate rem exposuerunt, optimo itaque successu vir abundans doctrina, & incredibili quadam varie-tate rerum & copia, totum de antiquitate variolarum nego-tium investigavit, Ioannes nempe *Gothofredus* HAHNIUS in
opu-

opusculo cui titulus est: *Variolarum antiquitates, nunc primùm e Græcis erute.* Accedit de MESUÆ SYRI scriptis ad Cel. FABRICIUM epistola. Brigæ. MDCCXXXIII. 4to. Multis autor documentis comprobare annisus est, Græcos jam variolas descripsisse, alio licet nomine, morbum enim ἀνθράκων s. carbuncolorum, cujus HIPPOCRATES initio secundi epidemiorum libri mentionem fecit, de nullo alio, quam morbo varioloso, esse interpretandum, contendit; aliosque ex Græcorum medicis laudat, qui simili ratione carbuncolorum nomine, variolas, non vero pestem intellexissent, ab his vero Arabes sua plerumque desumissent. Uberius hæc ex ipso cognoscere licebit scripto, quod undique interspersis doctissimis observationibus est ditatum. Res nova primum a Cel. HAHNIO in lucem posita, movebat virum non minus illustrem, & multis litteris, & medicarum rerum plurima atque varia scientia præditum, ut sententiam ejus examinandam susceperet, diversosque esse a variolis novis anthraces veterum, neque hodiernas in antiquitate reperiri variolas, in peculiari ostenderet scripto, quod hoc sub titulo est excusum: *Disquisitio medica & philologica de variolis & anthracibus, ubi de utriusque affectus antiquitatibus, signis, differentiis, medelis, dissertit, Paul. Gottl. WERLHOFF Medicus in aula Hannoverana Regius, cetera.* Hannoveræ MDCCXXXV. Non mihi temperare possum, quin verba doctissimi SCHULZII quæ Dissertatio, in qua de Variolis nuper quæsitæ aliqua expenduntur. Hale MDCCXLII exhibet, adjiciam. In hac enim disquirat, utrum novus sit morbus, an veteribus jam fuerit cognitus; rationes quibus in utramque partem usi sunt Viri celeberrimi, HAHNIUS & WERLHOFFIUS, proponit, quorum tamen nomina ex modestia beato viro propria, reticet. Postquam

quam argumentorum, quæ cel. HAHNIUS in medium protulit, summam dixit: "Hæc cum a viro doctissimo, pergit, non minus diligenter e veteribus collecta, quam ingeniose connexa & propofita effent, ut fateri oporteat, nihil omiffum fuiſſe, quod ad ſententiam ſuam probabilem reddendam pertinere poſſet: ſi tamen unumquemque locum inſpicias & nexum iſtum, quo ſingula cum antecedentibus & conſequentibus cohærent, in plerisque illa probabilitas, quæ antea magna apparebat, mox diſparet. Dedita opera hoc examen inſtituit vir celeberrimus, qui medicinæ perfectam cognitionem cum omnium elegantiorum litterarum cultura feliciter conjunxit, & in hac diſputatione non minus judicii acumine, quam modeſtiæ ſingularis exemplo notabili, omnibus ſeſe commendavit., Hæc SCHULZIUS, cujus notiæ videtur ſubductum eſſe, quod celeb. HAHNIUS patrocinium ſententiæ ſuæ de variolarum antiquitate ſuſceperit, cum ne verbo quidem de ulteriori litis progreſſu cogitat. Illuſtris enim WERLHOFIUS in calce diſquiſitionis ſuæ adjece-
rat: Id enim ſolum hac ſcriptione volui: veterum anthraces eosdem eſſe, qui recentiorum ſunt, neque confundendos cum variolis veris noſtris: horum vero apud priſcos ſcriptores grecos latinosque nullam tam clavam mentionem exſtare ut hunc morbum, jam communiffimum, & ſummopere memorabilem & diſtinctiſſimum, per eas ubi medicinam fecerunt, regiones obſervatum fuiſſe demonſtrari queat: ratus igitur eſt antiquitatis deſenſor doctiſſimus, ſuarum nunc partium eſſe ut oſtenderet: Veterum anthraces ſæpiſſime eosdem non eſſe, qui ſunt recentiorum: nec non veterum anthraces ut plurimum eſſe variolas noſtras, neque tamen utrumque affectum confundendum. Et tandem anthracum nomine, variolarum extare apud priſcos ſcriptores, præcipue

cipue Græcos, mentionem. Destinata exsecutus est vir clarissimus in scripto cui titulum præfixit: *Carbo pestilens a carbunculis sive variolis veterum distinctus. Delineante utrumque affectum Ioanne Goibofredo HAHN Phil. & Med. D. & Nat. Cur. Soc. cetera. Vratislaviæ MDCCLXXXVI. 4.* Omnia eadem eximia & politissima doctrina pertractavit, qua in præcedenti usus est scripto. Plura de hac inter summos in arte medica viros controversia, non sunt mihi nota, nec ut ego quidem sensus meos de hac tibi aperiam L. B. desiderabis, inconsulte eaim & temere foret tantorum dijudicare viro- rum scripta, cum historicum ago, cujus est res gestas narra- re, non dijudicare. RASEM ut meruit, in utrorumque scri- ptis sapius laudari facile erit judicatu, fusius autem hæc tra- ctare, scopo meo non convenit, præcipue cum utriusque lu- culenta satis scripta prostant, quæ cum apta plane sunt ad de- lectationem lectoris, ea ut perlegat rogamus. In anni præ- terlapsi novis litterariis, quæ *Gotingæ* eduntur, me legisse me- mini, medicum solide eruditum & Arabice doctum, celeb. REISKIUM, Lugduni Batavorum dissertationem defendisse, in qua momenta quædam de Arabum medicina explicantur, & inter alia adstruxisse, variolarum contagione, ni fallor, seculo octavo, exercitu Abyssinorum primum Arabes esse labefacta- tos. Cum autem dissertatio in manus meas nondum perve- nit, nec ejus recensio in novis litterariis consignata nunc præsto est, annum quo hoc contigerit, adjicere nequeo.

XV. RICHARDI *opus de signis februm*, locum decimum quintum inter codicis nostri contenta occupat. *Explicium signa Ricardi* in fine legimus, mutilus est ab initio liber, non autem cultro Flacciano depravatus, quod si enim factum es- set,

set, indicia quæ hoc proderent cernere liceret, sed cum reliquis, deficiente initio est compactus. Quatuor Folia reliquæ libri comprehendunt, qui circa finem Sæculi XIII. manu tremula, instar illius, quem sub numero XII hujus codicis recensimus, conscriptus videtur. Titulo argumentum respondet, sed mutilam manuscriptori mutili recensionem exhibere cogor, cum nusquam de RICHARDO nostro ab historia medicæ scriptoribus mentio facta est, cui tamen inter Semeioticæ doctrinæ professores haud infimus debetur locus. Solus refert LINDENIUS in libro *de scriptis medicis* p. 938. edit. ult. RICHARDI quem Parisiensem vocat, de signis febrium opus, una cum *Marsilii de S. Sophia*, aliorumque de febribus scriptis sæpius esse typis evulgatum, ac editiones ibidem notat. Hæc autem de febribus collectio adhuc conspectum meum fugit. Abrumpenda igitur mihi est recensio, usque dum locus mihi dabitur, plura tam de integro libro, quam de autore illius cognoscendi.

XVI. Ioannis PLATEARII *Liber circa instans, s. de simplici medicina*. Nec initium, quod titulus deficit, nec manuscriptori finis autorem produnt; ut hunc itaque detegerem, opus mihi erat in omnia inquirere scripta, quotquot de medicinis simplicibus reperiendi & evolendi mihi data erat potestas, usque dum tandem PLATEARIUM libri esse autorem ut infra demonstraturus sum, cognoscerem. Pauca de scriptura post medium circiter Sæculi XIII. usitata præmittam, quæ notis compendariis plena, ideoque lectu difficilis est, nec ad nitorem scriptionis Petri Caciacensis, vel coævorum accedit. Litteræ minores rotundæ ad amussim, positæ sunt. V.&U
ab

ab initio verborum promiscue substituuntur, littera *i*, nec accentum habet, nec punctum super impositum, *s.* finale longum est, littera *a*, sic *A* reperitur. *Æ* & *Oe.* simplici e absque cauda inferius recurva, litteram *y* sæpius sine ullo legimus puncto. Folii XXVI utrinque conscriptis absolvitur liber, quodlibet folium in duas divisum columnas, continet LIV. versus. In fine legimus: *Hoc loco concludit. Amen.* Initium libri: *Circa instans negotium de simplicibus medicinis nostrum versatur propositum*, pro Sæculi more occasionem dedit, totum librum PLATEARII *circa instans*, vocandi. Quid autem per simplicem intelligat medicinam, idem exponit: *Simplex autem medicina est, quæ talis est, qualis a natura produci- tur: ut gariofilus, nux moschata, & similia.* In fine introitus, instituti ratio his explicatur verbis: *In tractatione unius cujusque medicine simplicis, contemplatio rerum primo est attendenda, sequitur utrum sit arbor, an fructus vel frutex, herba, radix, an flos, an semen, an folium, an lapis, an succus an aliquid aliud. Postmodum quod sint ipsius maneries & qualiter fiant, & in quo loco inveniuntur, quæ & maneries sit melior, qualiter sophisticantur & sophisticatæ cognoscantur & qualiter res conservari possunt & quas virtutes habeant, & qualiter debeant exhiberi, & per ordinem alphabeti specierum tractatio compleatur.* Bene promissum PLATEARIUS exsolvit & medicinas circiter CCLXXIII. quas simplices medicorum schola vocare solet, in primis ex regno minerali & vegetabili petitas, paucas admodum ex animali, lucide satis pro temporis sui scientia exposuit, ac solito tunc more specierum gradus, *caliditatis, humiditatis & siccitatis* determinavit. Cum res secundum alphabeti litteras est peracta, cuius litteræ Syllabus medicinarum quæ enucleantur, præfixus est, sed plura interdum in pertractatione simplicia per-

persequitur quam syllabi continent. Typis jam præsens opus editum est, teste LINDENIO *de scriptis medicis*, edit. ult. p. 662. eas autem editiones quas ibi commemorat, nondum videre mihi licuit. Manuscriptum contuli cum collectione quadam scriptorum artis medicæ, quæ absque peculiari titulo Venetiis MCDXCVII in fol. edita est, & continet ut folium monstrat primum: *Practicam Ioan. SERAPIONIS, dictam Breviarium, Librum Serapionis de simplici medicina, PLATEARII Librum de simplici medicina, dictum circa instans, & Practicam PLATEARII* Ordo in ipso mutatus est libro, Practica enim liberum circa instans prægreditur. LINDENIUS quidem l. c. refert, PLATEARII Expositiones & commentationes ad *Nicolai Antidotarium* in hoc comprehendi volumine, *Venetis apud Octav. Scotum MCDXCVII.* edito, sed in errorem lapsus est, cum hujus locum liber *circa instans* occupat, & ne verbo quidem toto in libro de PLATEARII Expositionibus & commentationibus ad *Nicolai Antidotarium* mentio fit. In fine libri a PLATEARIO de simplici medicina conscripti, legimus: *Explicit liber de simplicibus medicinis, excellentissimi viri Ioannis Platearii, & paulo post: Impressum Venetiis mandato & expensis nobilis viri Domini Octaviani Scoti, civis Medwariensis, per Bonetum Locatellum, Bergomensem, 17. Kal. Ianuarias 1497.* Idem itaque LINDENIUS loco *Boneti Locatelli*, substituit *Octavian. Scotum.* Manuscriptum passim a libro typis edito recedit, quæ autem differentie tantæ non sunt, ut earum enumeratione lectorem fatigemus.

XVII. *Io. PLATEARII, Practica brevis.* Nullus scripto præfixus est titulus, sed statim in præmio auctor detegit nomen suum: *Amicum induit qui iustis amicorum precibus descendit.*

scendit. Iusta igitur amicorum petitio est celeriter effectui mancipanda, ne frigere videatur charitas otiosa. Unde ego Platearius, Vestris precibus, dilectissimi socii, condescendens, breviter causas, signa, & curas ægritudinum scribere proposui, ut & vestrum laborem optatus consequeretur effectus, & mihi vestra discretio & dilectio gloriam pariat & honorem. Cetera. Scripturæ genus plane cum præcedenti convenit, & folia XXIII. totum comprehendit opus, cujus finis his indicatur verbis: *Finit Deo Gratias. Amen.* Febrium descriptiones primo posuit loco, dein capitis, pectoris, ventris & harum partium, denique cutis morbos & fistulas, more tunc solito ad Arabum præcipue mentem & methodum, explicat. Præfens scriptum vna cum SERAPIONIS Præctica editum esse antea recensuimus, reliquas LINDENIUS l. c. laudat editiones.

tom. XVIII. *Expositiones PLATEARII & Glossæ in Antidotarium Nicolai.* Titulus adest nullus & manuscriptum in fine mancum, ex decem foliis constat. Scriptionis modus a præcedentibus differt & in fine Saculi XIII. liber conscriptus esse videtur. Autorem & operis titulum ex contentione cum *Expositionibus Platearii* facta, quæ una cum *Antidotario Nicolai* Operibus Ioan. MESUÆ Venetiis MDLXXXI. apud Iuntas editæ sunt, comperi; hoc solum observavi discrimen, Antidotarium Nicolai non hic expositionibus esse præfixum, quod ibi factum est. Manuscriptum hoc habet initium: *Liber iste quem in presentia legendum suscipimus, ex multorum Antidotis est compilatus. Quod patet ex ipsis medicamentorum intitulationibus. Inscríbítur enim quandoque pigra (picra) Galeni, pigra (picra) Constantini, Aurea Alexandri, Hædra magna vel medicina Esdræ Prophete, trochisci Andromachi, cetera.*

Subsistit manuscriptum in initio Expositionis in *confectionem* quæ *Esdra* vocatur; exemplar typis editum, quantum cum hoc comparare licuit, variis interpolatum est additionibus. Videamus nunc quis fuerit *Ioannes PLATEARIUS*. A CONRINGIO in *Diss. III. de Antiquitatibus Acad.* p. 100. inter Scholæ Salernitanæ quæ Sæculo XII. celeberrimæ fuit famæ, magistros, refertur: *Et vero ornaverunt*, ait, *Scholam hanc Ioannes Platearius, cujus est liber circa instans vulgo dictus, Ioan. de Mediolano, præcipuus autor libri de conservanda valetudine, cetera.* Eundem I. C. LANGIUS in *hist. med.* p. 18. & CONRINGIUS in *Comment. de Script. XVI. p. C. n. Sæcul.* p. 120. scriptoribus Sæculi duodecimi adnumeraverunt: quod autem viro doctissimo & sæpius laudato KESTNERO in *Lexico Medicorum Biographico* p. 662. non videtur verisimile; hac ex ratione, cum *Platearius* *Antidotarium Nicolai* exposuisset, *Nicolaus* vero exeunte Sæculo XIII. vel ut p. 588. docet, initio Sæculi XIV. inter vivos adhuc fuisset. Suspecta hinc nostra de Manuscriptorum N. XVI. XVII. XVIII. ætate foret adfertio; cum adfirmavimus, post medium circiter Sæculi XIII. duo priora esse exarata, effici hoc non potuisset, si *PLATEARIUS* scriptoris Sæculi XIV. exposuisset librum. Non desunt quidem argumenta, quibus Expositiones in *Antidotarium Nicolai*, esse *PLATEARIO* adfectas, probari potest; quæ ut adferam, operæ erit pretium. *PLATEARII* enim *Expositiones & Glossas*, quæ, ut supra jam commemoravimus, *MESUÆ* operibus adjectæ sunt, perlegens, non solum opus *circa instans* sæpius in his citatum, sed ipsum quoque *PLATEARIUM* reperi laudatum, e. g. fol. 175. editionis supra commemoratæ, & in fine animadversionis in *Electuarium Cophonis frigidum: Magister vero PLATEARIUS tam diu bullire fecit cum Syrup.* cet. fol. 174. circa finem animadversionis

tionis in *Esdram*: Nota, quod Magister Copho & Magister Io. de PLATEA in hoc erant gemelli, quia fere omnes alii de *Esdra* discordabant. Nec non fol. 176. legimus: HERCULANUM, qui decimo quinto floruit Sæculo, laudatum; quod factum non esset, nisi hæ expositiones vel durante Sæculo XV. aut postea conscriptæ essent. Huc accedit, quod is qui librum typis evulgandum curavit, fini ejus, adjecerit: *Glossas autem istas non esse PLATEARII, sed cujusdam Germani, supra ex expositione super Esdræ confectionem, & emplastrum oxicroceum aperte addiscere licet: & ex eo etiam, quia per sepe PLATEARIUS ipse allegatur.* Germanum, non Italum confecisse librum ex eo forsân ultimæ observationis autor coniecit, quod in expositione emplastri oxicrocei, crocus per verbum a Germanis receptum explicetur, cum adposuit; *qui a vulgo saffren dicitur.* Itali vero *Saffrano* vel *Zaffrano* crocum interpretantur. Attamen PLATEARIUM statuimus autorem, cum omnes rei medicæ Scriptores, has ei expositiones tribuunt, quæ in hoc codice cum scriptis ejus reliquis conjunctim reperiuntur, stilus quoque cum præcedentibus conveniens hoc confirmat. Liber typis editus multis est accessionibus interpolatus, quod ego manuscriptum cum illo conferens, sapissime observavi, quare loca illa mihi videntur supposita. Totam componere litem facilius fuisset, si integrum esset hoc codicis nostri manuscriptum, quod statim ab initio expositionis in *confectionem Esdræ* deficit. Me quidem judice tota de Antidotario *Nicolai* historia valde est obscura. Varii enim fuere medici, qui *Nicolai* gesserunt nomen, & in Antidotariis componendis operam suam locarunt. Primus inter hos fuit *Nicolaus MYREPSUS* vel *Alexandrinus*, qui Antidotarium Græco conscripsit sermone, vid. *Fabricii Bibl. Græc.* Vol. XIII. p. 4. fuere præterea *Nicolaus Præpositus*,

Nicolaus Salernitanus, & *Nicolaus Reginus* s. *Calaber*, qui omnes partim *Myrepsi* opus in latinum transtulerunt sermonem, partim omissis superfluis, in compendium illud contulerunt. Tanta vero est inter hos confusio, tam quod ad cognomina eorum, quam quod ad tempus quo vixerunt, attinet, ut nil certi de his, omni adhibita cura & diligentia, tradere nobis sit licitum, conf. *Lindenium renovat.* p. 829. 840. & 842. & *Fabricii Bibl. Græc.* Vol. XIII. p. 347. 348. Non ineptum nobis videtur adstruere, in Antidotarium Salernitani cujusdam NICOLAI has esse expositiones a PLATEARIO ibidem docente, adornatas. NICOLAUM enim quendam Salerni natum, ibi artem exercuisse medicam & duo Aromataria composuisse, verba docent *Christophori de HONESTIS* conf. *Conring. Antiq. Acad. in Diff. III.* p. 101. In *Comment. de Scriptor. XVI.* p. C. n. S. p. 121. CONRINGIO valde videtur verisimile *Nicolaum Calabrum* quem perperam Præpositum Alexandrinum vocat, Sæculo XII. Salerni floruisse, quod & nobis adridet. Hoc certum est in omnibus artis medicæ scriptoribus, de *Nicolais*, eorum cognominibus, & tempore quo vixerunt, omnia perturbato & valde mixto, modo esse consignata. De Schola quæ Salerni floruit, cum celebrem ejus libellum opus susceptum continuans, de conservanda valetudine recensebo, plura erunt commemoranda, & quæ de NICOLAO Salernitano, mihi erunt comperta, tunc pro viribus tradam.

VI.

Hortus Eyslettenensis; sive diligens & accurata omnium plantarum, florum, stirpium, ex variis orbis terræ partibus, singulari studio collectarum, quæ in celeberrimis viridariis arcem episcopalem ibidem cingentibus hoc tempore conspiciuntur, delineatio & ad vivum repræ-

repræsentatio. *Opera Basilii BESLERI Philiatrici & Pharmacopar.*
MDCXIII.

Forma, mapparum geographicarum magnitudinem superat solitam, & liber in quatuor partes divisus, hic uno comprehenditur volumine, cujus operimenta sericata & rubra, limbos telis aureis prætextos gerunt; circumcisura vero est deaurata.

Anserem interstrepuisse olores B. L. judicabis, cum titulus typis evulgatum opus manuscriptis immixtum prodit, sed conatus mei causas illico sum explicaturus. Cum ELSHOLTZII ad hortum Eystettensem ut describeretur accessio, suscepti laboris ratio posceret, necesse erat ut lectori historię libri, cui adjecta est, cupido, quos consuleret, ostenderem. Libri haud vile pretium & infrequens cum adipiscendi opportunitas, ut inter raros jure referatur, effecerunt; rarorum hinc librorum indices in auxilium vocavi, sed VOGTIUS nihil me de libro docuit. Pari felicitate *Theophili* sic vocati SINCERI & BEYERI de libris raris scripta, e manibus dimisi, hic in præfatione *Memoriar. Hist. Crit. Libr. Rar.* Hortum Eystettensem libris raris & rarioribus titulotenus adnumeravit. Nec minus SCHELHORNII Amœnitates litterarię, quę identidem libris infrequentes recensent, hortum amœnum prætermiserunt. MORHOFFIUS in Polyhistore, CONRINGIUS in Introductione in artem medicam, STOLLIUS historiam Medicinę explicans, KESTNERUS in Bibliotheca Medica, nec non SIMON PAULI qui horti Eystettensis plantarum divisionem in *Regno Quadripartito Botanico* secutus est, ad unum omnes librum silentio transferunt. Lexicon, universali nomine celebratum, & BERGERI Diatribe de libris rarioribus ad desiderium nostrum leniendum, ne gry quidem attulerunt: nam illud mole sua,

fua, non rerum pondere laborat, hæc autem nimia est bre-
 vitate adstricta. Alios præter hos perscrutatus sum libros ut
 lectori satisficiam, nusquam autem tam horti quam libri per-
 petuam offendens historiam, ratus sum, me non operam lu-
 furum, si ipse hanc pressam conderem & accessioni Elshol-
 zianæ præmitterem. Denique me eo minus censura vexatum
 iri spero, quod præsens opus manuscripti locum hic teneat,
 cum figuræ exemplaris nostri æneæ, artificis haud vulgaris
 manu, coloribus optimis, ad invidiam usque sunt illuminatæ.
 Hic autem mihi erit ordo, ut exemplaris nostri primo *præro-
 gativas* exponam, tum librum describendo *contenta* ejus capi-
 tulatim explicem, *historiam* dein fidelissime tradam, utrius-
 que tam *libri* quam *horti* fata, breviter & absolute prodens.

Folium membranaceum pari cum ceteris magnitudine
 ante titulum insutum est, quod insignia Ducum Pomeraniæ,
 coloribus artis Heraldicæ eleganter adumbrata, & superius
 novem emblematis affabre pictis condecorata, splendide
 ornant. Leviores quæ sunt exornationes prætermittimus.
 Annus MDCXVII subscriptus est. Inferius legimus: *Se-
 reniss. & Illustriss. Principi ac Dno. Dno. PHILIPPO secundo Duci
 Stetin. Pomer. Cassub. & Vandalor. Principi Rugiæ, Comiti Gutzko,
 et cet. Principi & Dno. meo clementissimo.*

Mille coloratum Tibi dono floribus horticæ,

Inclyte Stetini Dux Pomerane soli.

Verbere languescant ut grandinis: haud tamen his Rex

Ornatu Salomon par, similisve fuit.

Florent namque homines sed flos est iste caducus.

Nil stabile in terris præter amare Deum.

Sereniss.

Sereniff. Celsit. Vestrae humilimus servus, Philippus HAINHOFER civis Augustanus mp.

E regione nominis subscripti, litteræ **C. J. M. L. St. J. N. G.** comparent, quarum virtus me latet.

Operæ sane pretium erit memoriam ut excitemus optimi Principis, PHILIPPI *secundi* Pomeraniæ Ducis pii, docti, nunquam satis laudandi, qui si non omnibus, plerisque saltem præferendus est amore erga Deum sacramque scripturam; liberalium nec minus artium & antiquitatum studio. Bibliothecam hic & Technophylacium adornavit, artifices in aula aluit: reliqua & præclara sane, sapientissimi Principis facta, MICRÆLIUS in *Antiquitatibus Pomeraniæ* Lib. IV. p. 69. edit. MDCCXXIII. retulit. Eodem anno, quo hoc ei splendendum misit exemplar HAINHOFERUS, iubilæum Dux commemorabili pietate præditus, Confessionis Augustanæ celebravit. Inter novem folii membranacei emblemata Symbolum Principis optimi occurrit, candela scilicet ardens in candelabro, cum epigraphe: *Officio mihi officio.* Si HAINHOFERI accepta & desiderata tibi esset notitia, frustra Lexicon eruditorum & biographos e. g. FREHERUM, ADAMUM, WITTENIUM, LINDENIUM aliosque volutaturus es. Interim I. V. ANDRÆ Theol. celeb. in nostri laudes excurrisse, ex SCHELHORNII *amanit. liter.* T. III. p. 266. comperies, qui in HAINHOFERO inexhaustam vim ingenii, septem linguarum non vulgarem peritiam, omnium aularum notitiam, usumque clarissimorum undique hominum prædicavit plurimum, ac addidit denique, eum sexagenario jam proximum mortuum esse MDCXLVII. Hæc tibi sufficiant;

K

ant, plura de commercio PHILIPPI Ducis, & HAINHOFERI non habeo. Quis illuminaverit æneas vivis coloribus tabulas me latet, an dirigente HAINHOFERO, an potius BESLERO factum sit, dubius sum, videtur posterior, hunc enim exemplaria nonnulla coloribus elegantissimis auspicio Episcopi illustranda curasse, ELSHOLZIUS in Introductione, *Floræ Marchicæ* præmissa, p. 6. commemorat.

Nunc ad libri *descriptionem* devolvimur. Titulus figuris variis exornatus & in ære incisus est, verba jam ab initio exscriptimus, nomen chalcographi habet in limine: *Wolffg. Kilian, Augustan*. Titulum excipit dedicatio, quam BESLERUS ad IOANNEM CONRADUM Episcopum Eystettensem direxit, diemque adposuit & locum quo data est: *IX. Kald. Majas 1612. Eystetti in monte S. Wilibaldi, arce episcopali*. Laudat in hac Episcopum æterna laude dignum, qui tot imperii sui felicissimi & sapientissimi reliquit vestigia, ut parem vix habeat: vide GRËTSERI catalogum Episcoporum Eystettensium *Philippi Chronico* adjectum, qui plura tibi tradet. Nos ex historia adjiciamus, illum ex illustri stirpe a *Gemmingen*, quæ nobilitate clarissima splendet, domus Hagenschieffensis, ortum esse. *Fridericus* imperator cognomine *Barbarossa*, MCLXXXII in comitiis Moguntia habitis, *Gemmingos* antea jam nobiles, Dynastas & Viros Nobiles Diplomatis vi creavit. Claros non solum Heroes sagatos ex hac esse gente ortos, notum est, sed etiam togati in Eruditorum Lexico & alibi recensentur. BESLERUS in dedicatione insignem studii botanici amorem Episcopi prædicat, qui ubi inculti, steriles & saxosi montes apparuere, amœnissimos instruxit hortos, horum ad octo provectum fuisse numerum, alibi me legisse

gisse memini. Neque universæ minus posteritati, quam exteris quoque gentibus Episcopum communicasse quæ præclarissimus ille hortus largissime suppeditavit, cum plantas ejus & stirpes rariores, ad vivum effigiatas æneisque expressas tabulis publice cum omnibus populis & posteris communicari jussisset; adeo ut conjiciente BESLERO cum reipublicæ & studii herbarii summo detrimento conjunctum fuisset, si hujus operis editio prætermissa foret: quam illius liberalitati & illustrissimæ beneficentiæ gratissima animi recordatione & prædicatione lubentes acceptam ferrent, & merito deberent quotquot hujus studii sectatores & amatores forent. Finita nunc dedicatione locum occupat Decani & Collegii Medici Noribergensis præfatio, quæ docet, in hoc laborioso & amplo volumine, quaslibet horti Eystettensis plantas & arbores in singulis annorum quartis ortas, in conspectu esse, graphice delineatas, ut melius dari, vel tantum se posse, artifices dubitent; minus vero hujus artis peritos omnino intactum reliquisse, neque opus adgressos esse, apparet ex hoc; quod plerique hujus negotii & laboris principia & limites aspicientes, jam dudum animum abjecissent, visique fuissent colophonem addere posse, vel levem perfectionem, ob oneris magnitudinem denegantes. Præfatus deinde est BESLERUS; omissis reliquis ex hac præfatione notamus: rem eum agredientem digessisse opus in quatuor classes, secundum anni tempora, istasque rursus suos in ordines, ut loco & serie decenti, si esset quid aliquando accessurum, non augendi & addendi deesset commoditas. A Principe sibi transmissas esse refert plantas, iis anni temporibus quibus constitutæ in vigore fuissent, has depingi & in æs incidi se curasse. Formas etiam æris grandiusculas, sculptis ad vivum stirpibus adhibuisse;

buisse; Leviores & silvestres in horto & territorio Eystetten-
 si crescentes, rarioribus ob fugam vacui, ut ait BESLERUS,
 in tabulis adpositas æneis, ex hortulo suo produxisse, quo
 Principem tot internunciorum molestia sublevaret. Deni-
 que se nihil immiscuisse asserit, quod non in Episcopi horto
 satum natumque sit. Minime vero omnes sed rariores solum
 & principaliores hujus horti plantas exhibuisse, domesticis
 plusquam quadringentis omissis. Ab initio nuda solum re-
 præsentare nomina & icones, apud animum constituisse, ait,
 Principem vero magnosque Viros, brevem ut adtexeret, de-
 scriptionem, nec non synonymiam ac Botanologorum pagin-
 as & locos, ubi exstarent jam descriptæ, admonuisse. Præ-
 fationem excipiunt privilegia BESLERO de libro vendendo
 concessa: primum a Ludovico XIII. Rege Franciæ & Navar-
 ræ ad decem annorum spatium, secundum ab Alberto Au-
 striæ Archiduce & Isabella Clara Eugenia ad totidem annos,
 ultimum a fœderati Belgii ordinibus ad annos sex. Posthæc
 effigiem & insignia BESLERI reperimus, subjectum Georgii
 REMI carmen, in laudem ejus excurrit. Autorum in libro
 laudatorum catalogus est operi præmissus. Quatuor quæ
 sunt libri partes, titulum semper in ære expressum præ se fe-
 runt; *prima* plantas vernaes in novem divisas ordines, *secun-
 da* æstivas in quatuordecim, *tertia* autumnales in quatuor, hi-
 bernas vero *quarta* uno in ordine absolvit. Totum fere vo-
 lumen ex tabulis æneis, in quas incisæ sunt plantæ, constat;
 paginis harum adversis, descriptiones sed breves admodum,
 autoresque botanici, qui plantas explicaverunt, adjecti sunt,
 quamvis partem indices plantarum, Latinus & Germanicus,
 concludunt. Volumini imposuit nostro I. S. ELSHOLZIUS
 indicem generalem plantarum totius operis Latinum manu
 sua

fua scriptum. Tabulæ plantas exhibentes æneæ, numero sunt CCCLXIV. titulis quinque exceptis, effigieque BESLERI. In Catalogo *Riviniæ Bibliothecæ Hortum* inveni Eystettensem cum figuris MLXXXIII. recensitum, hic autem numerus de plantarum speciebus, quarum plures sunt, sæpius in una expressæ tabula non ipsis autem de tabulis, intelligendus est; fallunt itaque qui stirpium numerum cum tabularum confundunt, quod in scriptis quibusdam botanicorum, quorum in conspectu forsan Hortus Eystettensis non positus est, plus simplici vice observavi.

Adgrediamur *historiam horti* ejusque *descriptionis*, hanc contexam ex dedicatione & præfatione BESLERI. Primum horti conditorem jam appellavimus, qui arcem episcopalem in S. Wilibaldi monte jucundissimo beavit prospectu, incultos mutando montes in hortos amœnissimos, eosque non solum stirpibus omnis generis præfertim exoticis, multis impensis instruxit, sed ad hos eo feliciter excolendos, BESLERUM Pharmacopœum Noricum præfecit, cujus de notitia plantarum edoctus erat. Non deerant Principi autores svaforesque ut horto inter omnes Germaniæ eminenti, curaret præstantiora ejus describi, minime itaque dubitavit, descriptionem & operis editionem eidem demandare & delegare, qui tamen reluctans, ut ipse affirmat, impari se professus est. Cogitasse videtur BESLERUS rem actam esse, si plantis in ære incisis sola adponeret nomina, Principe autem earum explanationes petente, exitit parum viribus suis confusus, Episcopo svasor, ut Carolum CLUSIUM principatum inter sæculi Botanicos tenentem operi admoveret: BESLERUS ad hujus se amicitiam adplicaverat, cum CLUSIUS Vienna redux No-

rimbergam transferat, sed nil persuasione efficiebat. Principis enim animum BESLERI fama scientiæ suæ herbarum jam occupaverat ut hunc viridarii sui patronum & patrem adpellare sæpius sit dignatus. Ad opus itaque perficiendum IUNGERMANNUM botanicum excellentem, Gießæque vitam privatam agentem arecessivit & in domo sua sustentavit, cujus opera intra sexennium opus est absolutum. Hoc loco præterire nequeo BESLERUM arrogantia corruptum, haud procul a plagii macula abesse, contraxit eam, ex operæ a IUNGERMANNO latæ reticentia. FREHERUS in vita IUNGERMANNI e programme funebri, nomine Academiæ Altorfinæ conscripto, refert, hunc ad descriptionem *Horti Eyslettensis* laudabilem & non vulgarem attulisse opem, eundem in margine, descriptionis autorem nuncupat. In præfatione ad *Raviona Musei Besleriani* MDCCXVI. in fol. edita, celeb. LOCHNERUS vitam *Basilii* BESLERI ejusque operam in libri editione, ex præfatione & dedicatione Horti prædicat plurimum, & meminit FREHERUM retulisse, nostrum IUNGERMANNUM usum esse in concinnando opere, sed nusquam hujus mentionem BESLERUM injecisse, unde haud obscure operam IUNGERMANNI in dubium vocat. Moverunt itaque hæc, Virum de re medica optime meritum *Io. Jac. BAIERUM*, ut in *Biographia Professorum medicinæ*, qui in Academia Altorfina vixerunt, vitam IUNGERMANNI exponens, totum detegeret negotium. Afferit vir inter cœlites receptus, se exemplar præfationis possidere collegii medici Norimbergensis nomine consignatæ & operi laudato præmissæ, manu Decani *Balthasaris ab Herden* exaratum, in hoc, ut refert, post BESLERI laudes contineri: *Quanquam Clariss. & Doctiss. Virum Ludov. Iungermannum Med. Doctorem cujus*

jus opera in plantarum iconibus eleganter & breviter describendâ
usus est Beslerus, sua defraudare laude nequaquam velimus. Hæc
verba in exemplari typis impresso, plane omiſſa sunt a BESLE-
RO. Ejusdem momenti sunt funebris verba programmaticis,
totius Senatus Academici nomine conscripti, quæ opem IUN-
GERMANNI laudant. REMI & HORSTII litteras autogra-
phas l. c. BAIERUS adfert, quæ aperte & disertis verbis IUN-
GERMANNUM hujus operis autorem vocant. I. G. VOLCKA-
MERUS effigiei IUNGERMANNI ære expressam, subscripsit:

*Horti Altorfini Sol, Iungermannus, & auctor
Eichstadiæ flore, sic Ludovicus eras.*

Omnia hæc confirmat ignorantia Latinæ linguæ, in qua
tam rudis fuit BESLERUS ut ne præfationem quidem suo sub
nomine divulgatam componere noverit, cujus Prototypum
ab ipsius fratre Hieronymo BESLERO Med. Doct. conscrip-
tum, cuius monstrare dubitanti doctissimus BAIERUS offert,
qui subsidii IUNGERMANNIANI dissimulationem & ingrato
homini silentium de ejus opera, crimini optimo jure vertit.

Magnam BESLERUS famam sibi conatibus suis compa-
ravit, cum non solum nomen in memoriam ejus usus est,
(quem videre autem mihi adhuc non licuit) sed sæculo fere
post obitum ejus præterlapso, Carolus PLUMIER in *Nova
Plantarum Americanarum* descriptione, edit. Paris. MDCCIII.
plantæ, nomen ejus imposuit, eamque *Besleriam* vocavit, cu-
jus species LOCHNERUS l. c. commemorat. De chalcogra-
phis operi admotis vix est quod dicam. *Wolffg. Kilianus* in
æneæ tabulæ limine, quæ titulum Voluminis totius, compre-
hendit, & *Io. Leybold* in tabulis titulorum quatuor partium
nomina

nomina detexerunt, utriusque manibus & plurium forsan opus est confectum. Miror quod *Ioachimus de SANDRAT* in *Academia picturæ*, ne verbo quidem de *Wolffgangi KILIANI* impenso in hortum *Eystettensem* labore, mentionem fecerit, cuius tamen & fratris *Lazari KILIANI* vitam descripsit. Nulla mihi alia editio, quam anni MDCXIII catalogos Bibliothecarum haud paucos investiganti, occurrit, quod itaque *MERCKLINUS* in *Lindenio* renovato scripta *BESLERI* recensens, de *Horto Eystettensi* MDCXL curis secundis edito memorat, ego quidem vix aliter interpretari possum, quam quod novus a *M. R. BESLERO* operis titulus adornatus, quibusdam exemplaribus præfixus sit, inde probabiliter novæ editionis error creatus videtur. Nam *Michael Rupertus BESLERUS* M. D. *Basilii* ex fratre nepos, sibi proposuerat *Hortum Eystettensem* plantis quam plurimis artificiose depictis & æri incidendis augere, quod *FREHERUS* in vita ejus recenset, imo titulum, comemorante *I. C. LOCHNERO*, forma regali sculpi curavit, sed morte præmatura impeditus voluntatem exsequi nequivit. Idem *MERCKLINUS* titulo *Horti Eystettensis* MDCXIII. editi adjecit: *Norimbergæ & impensis auctoris*: Titulus autem est absque loci mentione impressus, ac ex *BESLERI* in dedicatione & præfatione verbis luculenter patet, liberalitate & beneficentia Episcopi perfectum opus esse. In privilegiis quidem legimus *BESLERUM* operis editionem suscepisse, Episcopo MDCXII. mortuo; impensas autem esse ei inde natas vix crediderimus, cum opus superstite adhuc Episcopo, liberalitate ejus peractum sit, ut dedicatio declarat. Nec silentio *LOCHNERUS* opportunam occasionem studium *BESLERI*, ne impendio quidem in publicum commodum parcentis, laudandi prætermisisset; sumtus vero operis hujus immensi, hominis

minis privati periculum longe superant. Sed ad editiones libri revertor, quarum tres curatas esse, J. J. BAIERUS perhibet, in Programmate *de hortis Germaniæ Botanico-Medicis celebrioribus*, adjecto *Horti Medici Acad. Altorf. Historia Altorf. MDCCXXVII.* pag. 4. ubi animadversionem subnexit de Opere splendidissimo: *prodiit ait, primum Norimbergæ A. MDCXII charta augusta, recusum An. XL. & nuper iterum Eystadii, citra notabilem (quod sane dolendum) emendationem, nedum accessionem.* De editione An. XL. sic credita jam egimus, de ultima nuper, anno MDCCXXVII. edita, nihil est quod referam, cum nusquam de hac cognoscere potui. Acta evolvi Franciæ, erudita & curiosa, ab anno hujus Sæculi XXVI. usque XXXIII. sed infelici fidere nil reperi, nisi quod in horum collectione quinta, recensione historiæ horti Altorf. a J. J. BAIERO conscriptæ, adjunctum sit: exemplar hujus libri MDCCXIII. editi, in Bibliotheca Albertina Gymnasii Coburgensis Academicæ, nec minus coloribus vivis eleganter illuminatum, in Bibliotheca Norimbergenfi publica servari. Si nova plane editio nuper publicata esset, crederem mentionem ejus in Actis Franciæ litterariis præcipue, factam fuisse, cum Eystadii recusæ, inter indigenas ei locus esset datus. Tabulæ forsitan æneæ Eystadii, ut opinor, servatæ, denuo impressæ sunt, unde nec emendatio nec accessio addi potuit, sine novo tabularum augmento & ordine. Cum Acta quoque Eruditorum Lipsienfiæ, ab anno MDCCXX. usque XXVII. a me pervolutata, de nova hac editione nil referunt, vix est quod de hac disseram. Modum finemque historiæ *Horti Eystettensis* faciens, pauca de usu & pretio verba faciam. Divisio plantarum secundum anni quartas in hoc opere facta, minus apta est; figuræ vero seu species illarum, plerumque ad vivum expressæ, his

L

adjecit

adjectæ descriptiones nimis concisæ sunt, & ex aliis congestæ. Totum opus magnificentiæ potius, & Bibliothecarum ornameto inservit quam usui. Pretium, voluntas & emtorum animus, nec non eorum, qui venalem exponunt librum, indigentia, facit. In tabernis Bibliopolarum vix occurrit, ex Bibliothecis quæ sub hasta veneunt, exemplaria quorum figuræ aeneæ non coloribus inductæ erant, quindecim imo viginti quinque thaleris coemta vidi, in *GEORGII Lexico librorum* nuper evulgato pretium quadraginta thalerorum exemplari statuitur, alibi in librorum venalium & jam compactorum catalogo, possessor librum sexaginta æstimavit thaleris. Volumina figuris ad vivum pictis ornata, pretii sunt vix æstimabilis, si Apellis absoluta & perfecta arte commendantur. Præsens opus in Bibliotheca Regia servatum, nulli nec colorum permixtione, nec exemplarium cum vivis plantis convenientia, cedit. Horti splendidissimi, magno labore, magnisque sumptibus conditi, fatale exitium commemorat Vir illustri laude celebratus C. MENTZELIUS, in elencho autorum *Indici nominum plantarum universali* adjecto: *Eystettensis vel Alstediensis hortus.* Liber ita vocatus, quod ubi hodie castellum Eystettense est erectum, hortus quondam herbarum & florum famosissimus fuit, ex quo planta ad viva exemplaria depictæ & æri incisæ, in librum ingentis molis sum congestæ. Deplorandum & lugubre fatum!

VII.

Plantæ singulares Horti Electoralis Brandenburgicæ Colonienfis, pro Eystettensis Appendice. *Abbildung etlicher sonderbaren Gewächse des Churfürstl. Brandenb. Lust-Gartens zu Edlin an der Spree, welche im gedruckten Eystettischen nicht zu finden 1659.*

Horti Electoralis prospectus titulum varie pictum exornat.

nat. Liber ejusdem cum *Eyſtettenti Horro* formæ est, ligatura quam Semi-Gallicam vocant compactus. Celeberrimus vir Ioannes Sigismundus ELSHOLTZIUS, aulæ Electoralis medicus, nomen suum in fine dedicationis dixit, quam d. XXVII. Octobr. MDCLX. Serenissimo Electori FRIDERICO VILELMO M. Heroi æterna laude nunquam non celebrando, lingua vernacula, sua inscripsit manu. Ex hac notamus, Electorem ELSHOLZIO delegasse, ut horti, cujus fama tunc volitavit per orbem, in Eyſtettenti non reperiundas plantas, instar appendicis in librum peculiarem congereret, & a quodam florum pictore effingendas, curaret. ELSHOLZIO *adfirmante* Appendicem opus æquiparaturam esse, spes fuisset, cum in hoc primo solum conatu, primitias plantarum æstivarum unius anni depictas & nomine signatas sisteret, multas vero gaudet adhuc in subsidiis esse. Duplici præterea usui laborem suum futurum, primo, si exotica planta evanesceret, cætypus tamen conservaretur, dein si Electori Optimo placeret ut appendix evulgaretur, chalcographus haberet unde plantarum species defumeret. Quævis tabula pictam unam alteramve plantam monstrat adposito nomine, absque ulla descriptione. Spero non lectori injucundum fore si operis inediti tabularum seriem & in iis depictas plantarum species adtexam.

- | | |
|-------------------------------|---------------------------------|
| I. Laurus Americana. | VII. a. Rosa Turcica. |
| II. a. Laurus Tinus adulta. | b. Buxus margine luteo. |
| b. Jasminum Indicum lateum. | VIII. Ilex coccifera. |
| III. a. Laurus Tinus junior. | IX. a. Olea sativa. |
| b. Alaternus. | b. Olea Boemica. |
| IV. a. Therebinthus. | X. a. Rhamnus folio salicis. |
| b. Lentiscus. | b. Spiræa Theophrasti. |
| V. a. Styrax. | XI. a. Helianthemum asteroides. |
| b. Alcea arborefcens. | b. Melochia f. Corchorus. |
| VI. a. Vitex f. agnus castus. | XII. a. Saponaria flore pleno. |
| b. Tamarix. | b. Apocynum folio oblongo. |
| | L 2 |
| | XIII. |

- | | |
|---|--|
| <p>XIII. a. Cyanus Turcicus purpureus.
 b. - - - - - albus.</p> <p>XIV. a. Lysimachia Virginiana.
 b. Lepidium, Dentillaria dictum.</p> <p>XV. Alcea Egyptiaca villosa</p> <p>XVI. a. Phalangium flore violaceo tri-
 phylo.
 b. Horminum fativum.</p> <p>XVII. Vitis Americana trifolia,</p> <p>XVIII. a. Flos passionis.
 b. Flos cardinalis.</p> <p>XIX. a. Stachys major Germanica.
 b. Pimpinella sanguisorba major.</p> <p>XX. a. Eruca maritima s. Cakile.
 b. Valeriana peregrina purpurea.</p> <p>XXI. Daucus Virginianus.</p> | <p>XXII. a. Scorpoides Bupleuri folio.
 b. Spinachia fragifera.</p> <p>XXIII. Saniacula Cortusa.</p> <p>XXIV. Solanum vesicarium.</p> <p>XXV. a. Fritillaria nigricans multi-
 flora.
 b. Fritillaria flore pleno.</p> <p>XXVI. a. Tulipa pumilio flavescens.
 b. - - - purpurascens.</p> <p>XXVII. Lilium album flore pleno spi-
 cato.</p> <p>XXVIII. a. Ranunculus Asiaticus flore
 pleno miniatus.
 b. - - - flammeus.
 c. - - - sanguineus.</p> <p>XXIX. Corona imperialis flore pleno.</p> |
|---|--|

Horti fata cujus stirpes appendicem præbuerunt, parum ei ab similia fuerunt, qui ad editionem operis ipsius occasionem dedit, apud utrumque Dea succubuit Deo, Flora Marti.

VIII.

Theatrum Tuliparum ad mandatum Sereniss. Electoris Brandeb. Friderici Guilielmi. CXCIX. fol. maj. ligat. pergam. In Charta.

Tituli verba tuliparum pictarum sero cinguntur. D. ELSHOLZIIUS præfationem latinam *de tuliparum per Germaniam anno seculari*, manu sua scriptam, præmisit. Varia hæc notatu digna continet, cum non solum horti Electoralis initium sed & codicis historiam exponit, quare ipsius interdum ELSHOLZII verbis, brevem ejus summam sub adspectu ponere placet. Statim initio exquirat, an THEOPHRASTO & PLINIO tulipæ licet alio nomine jam fuerint cognitæ, conjecturam vero hanc, jure obscuram æstimat. Ante Conradum GESNERUM, neminem inter Germanos quidquam litteris consignasse de tulipis censet, qui in libro *de hortis Germaniæ*, una cum *Valerii*

CORDI

CORDI annotationibus in Dioscoridem aliisque medicam illustantibus materiam scriptis, edito Argentorati MDLXI. fol. primus tulipam Augustæ Vindelicorum in horto Ioan. Henr. HERWATI Patricii, primum visam, pinxit & descripsit. Creverat autem ea ait ELSHOLZIUS, ex semine, quod Bizantio, vel ut alii, e Cappadocia allatum fuerat, produxeratque feliciter florem coloris rubri, mense Aprili, radicem vero sive bulbum ista vice a se conspectum GESNERUS negat, cum e rei novitas probiberet, neque florentem invito domino liceret exuere. Primarum tunc tuliparum ELSHOLZIUS immensum deridet pretium, ac homines tulipomania laborasse asserit, quæ nunc quidem, scilicet An. MDCLXI. per integrum Sæculum notæ, frequentiores essent. Seculo igitur, pergit, ab impressis hortis Germaniæ nunc elapso, Iubileum merito suum celebrent tulipæ, hoc ipso anno CIOCLXI. Floræ numen precibus suppliciter implorantes, ut gloriam semel partam sequentibus quoque seculis tueri ipsis, querelamque simul sopire velit stirpium odoratarum & medicinalium, quas Poëtæ recentiores fingunt, tuliparum honori invidentes, quod sola pulchritudine hæc superbiant, nulla interim singulari odoris gratia, neque memorando in medicina usu excellent. At vero provida Dea salutari consilio ita constituisse videtur, ne tulipæ, si cæteris etiam qualitatibus excellerent, amafios suos, quos sola hætenus specie subdeliros reddidere, tum prorsus dementent. Dolet deinde ELSHOLZIUS hominum variæ conditionis, in nominandis tulipis arrogantiam & imperitiam, qui jam nomine claris, nova sine ratione imponerent nomina, cum ex sola nomenclatura tuliparum colores vix cognosci possent, præcipue cum quotannis tuliparum colores degenerare, observetur. Hac de re mercatorum in Belgio circa tulipas laudat institutum, qui primarias earum, quas in viridariis suis alunt, ad vivum curant coloribus exprimendas, quo in foro icones emtoribus valeant

ostendere, adscriptis nominibus usitatis nonnunquam etiam pretio. *Ejusmodi vero icones sunt LXXII. illæ, quas præsens codex sub initium continet, pictæ ab artifice perito ad vovum exemplar selectissimarum tuliparum, quibus horti Belgici superioribus annis nitebant. Quæ vero sequuntur, singulæ natæ sunt in vireto aulico, quod Potentissimus Elector, Dominus noster clementissimus, FRIDERICUS GUILIELMUS Colonie cis Sævum anno MDCXLVII. magnis sumptibus instruxit, & hucusque conservavit. Cum vero imagines istæ singulis singulæ foliis essent delineatæ, ne disperse facilius perirent; in ordinem aliqualem per me redegi, & in usum nuper adornatæ Bibliothecæ aulicæ, uno comprehendi volumine, idem jussit Serenissimus Princeps. Voto denique Autor quo magni Electoris incolunitatem aliaque expetit fausta, præfationem finit. Hanc excipit Index secundum ordinem litterarum dispositus LXXII. tuliparum in viridariis Belgicis progenitarum & coloribus elegantissimis formatarum exhibens nomina, quæ exscribere nolo, cum nostris sint temporibus plurimum obsoleta. Qui vero plus quam sexcenta tuliparum scire nomina cupit, Christiani MENTZELII *Indicem nominum plantarum universalem*, p. 309-314. adeat. Varia jam indicavimus nomina in Codicis quarti descriptione. Præter icones LXXII Belgicas, adhuc LII. alias tuliparum, quæ in vireto Electorali olim natæ sunt, codex comprehendit, quibus nomen non adpositum est, plurimæ anno MDCXLVII. & XLVIII. floruerunt, ut ex anno his adjecto patet.*

IX.

Plantæ officinales, nova & praxi medicæ accommodata methodo digestæ, studio atque opera Joannis Sigismundi ELSHOLTZII D. & Medici Electoralis Brandenburgici MDCLXI. Fol. Tomi II. lig. perg. In Charta.

Præfationem ELSHOLTZIUS manu sua scripsit, in qua de planta-

plantarum in Botanologia usitata divisione & ordine agit. DIO-
 SCORIDEM, THEOPHRASTUM, & PLINIUM inconcinno
 ordine plantas proposuisse affirmat; MATTHIOLUM AC AMA-
 TUM LUSITANUM explicantes has commentariis, esse eodem
 usos. LOBELIUM & CLUSIUM aut nullum aut obscurum
 servasse ordinem. Paulo diligentius TABERNÆMONTANUM
 & DODONÆUM opera sua Botanica digessisse. COSTÆUM,
 SPIGELIUM, SENNERTUM, LAUREMBERGIUM in pri-
 mis utrosque BAUHINOS aliquomodo observasse plantarum
 ordinem. Cum medicis commendanda esset plantarum offi-
 cinalium cognitio, dispositiones vero earum a RENODEO &
 SCHROEDERO adornatæ, essent minus aptæ, novas planta-
 rum classes instituendas commendat ELSHOLTZIUS, quibus
 tanquam cancellis ad firmandam memoriam quadringentæ &
 quadraginta plantæ medicinales, includerentur. Supputatione
 enim facta, vix plures reperiri posse autumat, cum ex tanta
 plantarum abundantia, harum cognitio sufficere medico pra-
 ctico posset, si has quidem quadringentas & quadraginta tan-
 tummodo perspiceret. Index plantarum alphabeticus præ-
 missus est, sequitur Index classicus methodo ejus nova dispositus:

- Prima Classis* comprehendit *simplicia titularia*. XL.
 - Secunda*, purgantia cum vomitivis. XL.
 - Tertia*, calida peregrina. XXXIV.
 - Quarta*, calida indigena s. Europea. CLXXXVII.
 - Quinta*, temperata & frigida. LXVI.
 - Sexta*, fructus. XXXVI.
 - Septima*, Succos. XXXVII.
- Septem itaque Classes continent CCCCXL. simplicia ex
 regno vegetabili desumpta. Plantæ secundum hunc ordinem,
 glutine foliis chartaceis junctæ sunt, ut in herbariis vivis fieri
 solet. Stirpium vero quorum succi, ut gummata, resinæ, vel
 radi-

radices, semina, fructus, in ægrotorum salutem proveniunt, ramusculos, chartæ adglutinavit. Exoticorum quorundam defectum pictura supplere auctoris, ut præfatio docet, animus fuit, sed nullos reperi, nisi passim lacunas, quas picturis forsitan explere constituerat. Quid per *simplicia titularia* primæ classis intelligi voluerit, explicatione eget. Posuit nempe in prima classe plantas aut earum partes, quarum plures in formulis medicorum sub uno comprehenduntur titulo; e. g. quinque herbas emollientes, quinque herbas capillares, quinque radices aperientes, quatuor semina frigida majora, minora, & his similia. Hæc in præsentia de Elsholtzii labore in emendanda plantarum divisione sufficient. Vix autem ac ne vix quidem possum absque probro negligentiae, bonam mentem doctissimi viri ad studia promovenda nati, silentio præterire. Tanta enim fuit pietate in proximi commodum, ut herbarium suum quod vivum appellare solemus, longa annorum serie, labore præsertim operoso & molesto, nec minus studio incredibili ex sylvis, pratis, campis aliisque Marchiæ nostræ locis, undique coactum, & alphabetico ordine congestum ipse adhuc superstes, publico comodaret usui, ne, si blattas & tineas pasceret, communis mortuo possessore, utilitas deficeret. Plantas nominatim fasciculis chartaceis secundum alphabeti litteras imposuit, quo ordine postea editam MDCLXIII. *Floram Marchicam* digessit, quilibet fasciculus (qui conjunctim plus quam duo herbarum millia continent) lino adstrictus & littera signatus est, hos cistæ includi curavit, quo eo melius temporis injuriæ resisterent. Inscriptum est internæ operculi superficiei litteris flavo colore pictis: HERBARIUM VIVUM QUOD EX STIRPIBUS HIC NATIS PARAVIT ET BIBLIOTHECÆ ELECTORALI BEROLINENSI A. Æ. C. CIOÏCLVII DICAVIT. I. S. E. Attamen vir honestus omni cura impedire non potuit, quin nunc carie caducum opus infestetur, quicquid autem harum rerum sit, fama ejus nunquam inter bonos erit intermoritura. Vitam ejus & scripta publici juris facta, in KESTNERI Lexico Medicorum biographico quæras.



1777

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



Aa 306

VDA8

ULB Halle

3

001 529 080



sb

h. l.





inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

ROL. VILELM. MOEHSEN,
N. REG. JOACH. M. O. ET ACAD. JMP.
NAT. CUR. SODALIS,

ATIO EPISTOLICA C U N D A

USCRIPTIS MEDICIS,

QVAE

ES BIBLIOTHECAE REGIAE
INENSIS SERVANTUR.

DATA

AD VIRUM

IFICUM ET ILLUSTREM

ELIAM BUCHNERUM,

EM, ARCHIAT. ET COM. PALAT. CAES. POTENT.

IIS SANCTIORIBUS, IN ACAD. FRIDERICIANA

URAL. PROF. PUBL. ORD. ACAD. IMP. NATUR.

SIDEM, ET ACADEM. SCIENTIARUM

ROLINENSIS SODALEM,

M ATQVE FAUTOREM

M MAXIME COLENDUM.

BEROLINI,

JO. ADAM. RUDIGERI, BIBLIOP.

MDGCXLVII.